

www.e-rara.ch

Dissertatio de peregrinationibus religiosis

Heidegger, Johann Heinrich

Tiguri, an. 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13155>

Dissertationes apologeticae. Seu Justae vindiciae Synodalis de Peregrinatione ad Divam Eremitanam, seu Sacellum Einsidlense Helvetiorum, Dissertationis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISSERTATIONES APO-
LOGETICÆ.

Seu

JUSTÆ VINDICIÆ

Synodalis de Peregrinatione ad
Divam Eremitanam, seu Sacellum Ein-
sidlense Helvetiorum, Disserta-
tionis.

Oppositæ

D. AUGUSTINO
REDING, SS. Theol. D. & Mo-
nasterii Einsidlensis Decano.

Authore

JOH. HENRICO
HEIDEGGERO.

M. DC. LXIX.

THE HISTORY OF THE
PROVINCE OF
NEW YORK
FROM THE FIRST
SETTLEMENT
TO THE PRESENT
TIME
BY
JONATHAN BURNETT
ESQ.
OF
NEW YORK
IN TWO VOLUMES
VOL. I.
NEW YORK
PRINTED AND SOLD BY
J. BURNETT
AT THE SIGN OF THE
CROWN
IN NASSAU ST. N. Y.
1784

THE HISTORY OF THE
PROVINCE OF
NEW YORK
FROM THE FIRST
SETTLEMENT
TO THE PRESENT
TIME
BY
JONATHAN BURNETT
ESQ.
OF
NEW YORK
IN TWO VOLUMES
VOL. II.
NEW YORK
PRINTED AND SOLD BY
J. BURNETT
AT THE SIGN OF THE
CROWN
IN NASSAU ST. N. Y.
1784

DISSERTATIO PRIMA.

Quâ argumenta pro consecratione Divina Sacelli Einsidensis, ex historia dedicationis in Synodali dissertatione proposita, obliquo collo rapta expenduntur.

BRÉVIARIUM.

Adversarii lyncea in alienis perspicacia. 1. An quia memini Conradi testis de visu, idcirco ejus testimonium pro valido agnoscere debeam? Liber Conradi apocryphus ad paries vocatur. Pontificiorum cacoethe in supponendis monumentis. 2. An Conradi liber, siquidem genuinus est, sit auctoris, ut circa dubitationem, quod in eo reperitur, recipiendum sit? Contrarium probatur ex literis Huldrici Episcopi Constantiensis & bulla Canonizationis ejus. Visionum fictitiarum exempla, puta Elizabetha Schönaugiensis, Richardi Pramonstransensis, Danstani. 3. Quam fidem mereatur publicum instrumentum Leonis VIII. in praesentia Imperatoris Ottonis, Adelheide, principum, firmatum? 4. 5. 6. Probra, quae ipsi Pontificii in Ottonem, Episcopos & principes in Synodo Romana praesentes ingerunt, ipsorum Adversariorum in eos irreverentiam arguunt. 7. Leonis bulla yncōtēs disceptata.

8. An ex mea confessione probari possit peregrinationis Eremitanae per septem secula duratio?
9. An observantia & duratio continua ac immemorialis arguat vel originem vel cultum peregrinationis Eremitanae legitimum? Discrimen asseritur inter prescriptionem ac possessionem immemoriam temporaliū dominiorum & prescriptionem fidei ac veritatis. Sensus dicti Gammalielis Act. V. 38. explicatur. 10. An Reformati antiquitatem agnoscant notam veritatis fidei? Novitatis improprium discutitur.
11. Septingentorum annorum observantia consecrationem divinam Sacelli non arguit. 12. An dedicatio Sacelli notam veritatis evidentiores habeat, quam Zuinglii de presentia corporis Christianæ cœna dogma? 13.

I. **L**ynceum usque adeo fuisse perspicacem, ut etiam terram ipsam oculorum acie penetraret, quæque infra eam gererentur, pervideret, Apollonius in Argonauticis prodidit. At perspicacior Decanus noster, oculorum suorum mirifico obtutu in dissertatione Synodali ea pervidit, quæ nec authori in mentem venerunt unquam, nec sub dictis ejus minimè ambiguis vel flexiloquis latent, adeoque planè non existunt. Sed qui lynceus aliis videri potest, hunc in ipso statim suarum *Waldarq. B. W.* limine vix aliud

aliud quàm cavillationibus indulgerè, manifestum faciam.

II. Ais primò, Heideggerum meminisse Sancti Conradi *tanquam restis de visu*. Unde colligis, non latere ipsum, quibus ex monumentis deprompta sit Sacelli consecrati historia. Egregiam verò collectionem. Drama alienum narravi sine mea interlocutione, *ut illud Scriptores Pontificii ex monumentis nescio quibus exprompserunt*, uti verba mea sonant. Monumenta illa fide digna esse, non pronuntia-
vi. Imò in dramatis illius censura probavi contrarium. Nec Conradi librum *de Secretis Secretorum* monumentum *à Zolomson* esse agnosco. Liber est apocryphus, qui lucem hæcenus odit. Ne millesimus quidem, cujus interest, ut certâ fide rem ita gestam esse teneat, librum vidit. Nec ignotum nobis vestrum monumenta ejusmodi supponendi cacoethes. Quod ab improbis hominibus sub lege tentatum est, ut qui pecuarii fuissent à juventute, villosam togam induerent (Zach. XIII. 4.) ut in virorum Dei & Prophetarum numero haberentur: hoc ipsum etiam, Evangelio Christi promulgato, sæpius usu venit, ut impostores versuti aspidum ova aquilarum alis supponerent, & degeneres infelicis ingenii sui foetus nobilissimorum authorum nomine venditarent. Sanè Erasmus *declarat. 91. ad Censur. Theolog. Paris.* de temporibus, quibus cele-

Celebrata fuit Synodus VII. generalis, dixit,
libris falso celebrium virorum titulo commendatis
undique Scatere omnia. Quotusquisque est ex
 antiquis Patribus, in cujus nidum alieni pul-
 li, iique deformes, non sint suppositi? Sub no-
 mine Mariæ, Jacobi, Dionysii, Abdiaë, Lini,
 Clementis, Ignatii, Justini, Cypriani, Atha-
 nassii, Basilii, Augustini aliorumque illustrium
 patrum, multa barbara, insulsa, addo etiam
 hæretica scripta obtrusa sunt, quibus larvam
 non nostri tantum, sed subinde etiam adver-
 sarum partium scriptores detraxerunt. Et
 Pontificii quàm quæso fastidiosè excipiunt
 vel solam mentionem librorum quatuor Ca-
 roli M. contra imagines, Huldrici Episcopi
 Augustani Epistolæ ad Nicolaum Papam, Ber-
 trami Monachi Corbejenfis libri de corpore
 & sanguine Christi, Bennonis Cardinalis vi-
 tæ, & gestorum Hildebrandi, aliorumque
 ejusmodi, qui palato ipsorum non sapiunt,
 librorum, quos supposititios esse clamant, at-
 que hoc ipso illud libros fictitios supponendi
 cacoethes jam ante Reformationem inolitum
 confitentur. Auget suspicionem nostram,
 quòd nec Trithemius Abbas Spanhemensis,
 nec alii, qui scriptorum Ecclesiasticorum ca-
 talogos confecerunt, libri meminerunt;
 quòdque librum eum hætenus vulgare usus
 nemo est.

III. Sed fuerit liber ejusmodi scriptus
 à Cona

à Conrado Episcopo. An ideo *αξιόπιστος*,
 & tantâ fide dignus est; ut non tantum *αξιό-
 πιστος* & citra omnem dubitationem simpli-
 ci credulitate recipiendum sit; quod in eo
 comprehenditur; sed etiam visioni illi tan-
 quam authenticæ cultus illé religiosus, quem
 sacello & Deiparæ impendunt; inædificari
 mereatur? Atqui primò Conradus; quamvis
 Episcopus; homo tamen fuit; qui & falli ab
 aliis, & fallere alios ipse potuit. Hominis au-
 tem naturâ fallacis testimonio religio nulla
 superstrui potest. Secundò miracula & visio-
 nes ipsi tributæ non sunt omni exceptione
 majores, ut de iis nefas sit ambigere. Patet
 tum ex literis Huldrici Episcopi Constantien-
 sis ad Calixtum II. exaratis, quibus Conradi
 Canonizatio sollicitata est, tum ex ipsa Cano-
 nizationis ipsius bulla à Calixto II. año 1120.
 consignata. Huldricum Episcopum Constan-
 tiensem quod attinet; is in sua ad Papam epi-
 stola inter alia hæc verba de Conrado habet:
*Quâ propter operam dedi ex patrum schedulis; hu-
 jus viri dignissimam Deo conversationem potius
 quam miracula; quæ nonnumquam reprobis cum
 sanctis communia sunt; continentibus sequens opu-
 sculum colligere.* En Huldricus non dignatus
 est Conradi sui miracula & visiones allegare;
 hoc obtentu; quod miracula nonnumquam
 reprobis cum sanctis sint communia; reverâ
 autem quod iis parum fideret. Calixtus ve-
 rò in

rō in bulla Canonizationis : *Ad honorem Dei*
atque ipsius S. Conradi reverentiam , largiente
Domino constituimus , ut ipsius inter sanctos re-
cordatio futuris temporibus habeatur , & miracu-
la, que per eum à Deo facta videntur , si VERA
SUNT, scripturis & lectionibus memoriter deinceps
teneantur. En summus Pontifex , cujus esse
 volunt authentiam conciliare miraculis , de
 Conradi miraculis loquitur dubitanter , SI-
 VERA SUNT. Si vera esse judicavit , cur
 non categoricè illud asseruit ? Si ei integrum
 fuit miracula Conradi , inter quæ etiam visio-
 nes ejus numerari debent , in dadium revoca-
 re , cujus erat de illis ferre judicium : quantò
 magis licet aliis ? Accedit , quòd visiones ejus-
 modi creberrimè confictæ sunt. Quid quæso
 celebrius est Elisabethæ Schonawgiensis &
 Richardi Præmonstratensis visionibus ? Et ta-
 men celebres inter Pontificios Doctores eas
 tanquam apocryphas refutant : aperte qui-
 dem Gobelinus Persona , Bartholomæus Si-
 byllæ , Henricus de Hassia Comment. in Ge-
 nesin ; tacitè autem & obliquè Lindamus,
 Baronius , Miræus , alii , qui tam patientis sto-
 machi non fuerunt , quin sugillarent passim.
 De quibus meritò illud Apulejanum : *Nihil*
hac fabulâ fabulosius , nihil isto mendacio absurdius ;
Ufferius Armachanus Præsul usurpat. Et eo-
 dem , quo Conradus vixit , seculo , similes vi-
 siones plures effictæ sunt. Similimam certè
 refert

refert Balæus Centur. 2. pag. 141. quod Dunstanus stans somnârit in altari missalibus vestibus indutus, & expectans Regem à venatione venientem, quod missam in Cœlis audivisset cœnentibus Angelis in initio nonies Kyrieleison; & in fine: Ire missa est, tonosque eorum ac vocum consonantias ad posteritatis usum, cum esset musicus, reliquit. Quid verò inde factum? Clerici, inquit, conjugatis cum uxoribus & liberis suis ecclesiis pulsati sunt. Et paulò ante narrat, vocem Wintoniæ in Monachorum conclavi, cum de Presbyteris conjugatis restituendis ageretur, auditam: Non bene sentiunt, qui Presbyteris favent. Perinde quasi jus majus faceret cum monachis qui aliena raperent; quam cum Presbyteris qui sua retinerent, ut Balæus *Finxerunt*. Nec defuerunt etiam tum, qui oraculum illud Phœbi magis quam Dei fuisse, hoc est, hominum fraude non Dei nutu editum putârunt. De similibus simile esto iudicium. Sed faciamus etiam, Conradum non finxisse visionem; sed optimâ fide descripsisse, quod sibi oblatum putavit; supererit alia quæstio: Annon ipse sibi finxerit se vidisse, quod non vidit, sed somniavit & sibi imaginatus est? Nam & talia multa accidisse melancholicis & mente ægrostantibus; notum est. Denique faciamus, nec apud alios, nec apud se ipsum visionem hanc finxisse Conradum, residua erit capitalis quæstio: An visio illa Divina fuerit,

fuerit, an potius impostorum, sive hominum sive Spirituum? Sane divinam fuisse, adversarii probare non possunt, cum infallibilia probandorum spirituum criteria nulla habeant, uti inferius liquidò demonstrabimus. Divinam verò non fuisse, Synodialis Dissertatio argumentis irrefragabilibus convincit, quæ suo loco ab instantiis Adversarii liberabimus.

IV. Sed si Conradi attestationi fidem habere renuam, jubet fidem habere saltem publico instrumento, Papæ Leonis VIII. manu firmato, & In præsentia Imperatoris Ottonis I. ejusque filii Ottonis II. nec non Imperatricis Adelheidis, ac plurium tam Romanorum quàm Teutonicorum Principum A. C. 964. IV. Idus Novembris edito. Hoc porro instrumentum negat in dubium vocari posse à Doctore Tigurino, nisi frequenti Germania procerum pro illa approbatione suis consiliis concurrentium Archiepiscoporum, scilicet Moguntinensis, & Coloniensis, & Episcoporum Vormatiensis, Hildenheimensis, Mirmidonensis, Argentinensis, Augustinensis, Curienensis, nec non Abbatum Augiensis & S. Galli, & aliorum quàm plurimum in bulla Leonis VIII. allegatorum, auctoritatem simul labefactare, & unâ cum Papa ac prænomi- natis Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus, ipsum etiam Imperatorem ac Imperatricem, multosque tam Romanos, quàm Teutonicos Principes illi approbationi presentes, de levitate arguere præsumat, pag. 111. 12.

V. At

V. At veniam dabis, si candidè, quid hęc sentiam, expromsero. Primò Papa, Imperator, uxor Adelheides & uniuersus ille Principum circumstipantium chorus non aliud testari & ad posteritatem transmittere potuit, quàm se Episcopi Conradi, testis, uti loquuntur, *de visu*, relationem coram Pontifice auribus percepisse. Nam ipsi, uti dicitis, testes de visu non fuerunt, sed quid narraverit Episcopus coram, auditu exceperunt. Si igitur Conradi relatio per se *αξιόμησθαι*, fide digna non est, uti fide dignam non esse superius probavimus, testimonium illud Papæ, Imperatoris, Imperatriciis & Principum, quod non nititur nisi alienâ relatione, fidem ei nullam conciliare potest. Quippe plus fidei alienæ relationis testi, quàm ipsi alienæ relationi, transsumpto quàm originali, inesse nequit. *Sed in rebus considerandis maturum iudicium adhibuerunt*, inquis. Atqui id bulla Leonis non habet. Unde ergo tibi constat? Lectum esse instrumentum coram Ottone, filio ejus Ottone, Adelheide, Episcopis & Principibus; nec non *consultis fratribus Coepiscopis, & rogatu ac instinctu Ottonis & Adelheide*, dedicationem Divinam ratam habitam esse, Bulla narrat. At quo iudicio relata Conradi visionem exploraverint, non memorat. Imò Conradum in narratione privatæ suæ visionis coram sacro illo consistorio *confusè* processisse, ipse tu fa-

teris pag. 78. Quomodo ergo iudicium maturum adhibere potuerunt praesentes? Praeterea novimus, & loquuntur omnium aetatum literarum, quam prona fuerint superiora secula ad suscipiendas miraculosas narrationes, quamque sacer ordo ad quaestum callidus, sursum versus ora hominum sublinere suserit. *Incaute creduli circumveniuntur ab his, quos bonos putaverunt: nescientes inesse & incredibili verum, & verisimili mendacium*, inquit Arnobius adversus gentes lib. 8. Quod hic quoque factum haud dubie. Nam sacrificuli talium commentorum architecti, simulatae vitae sanctimoniâ fidem sibi apud cunctos praestruiebant, & incautos facile circumveniebant.

VI. Accedit secundo, quod Otto & totus ille principum chorus, quin & ipse Leo Papa non alios coram audivit, quam Conradum, *testem*, uti loquuntur, *de visu*. Atqui Redingius *Dissert. VII.* pag. 73. disertè fatetur, non tam privatam visionem Conradi, quam *caelestis ab omnibus in Ecclesia praesentibus ter audita vocis testimonium publicum* sufficere pro iudiciali illius consecrationis approbatione. Cum igitur populus ille, qui caelestis illius oraculi testis auritus fuisse perhibetur, tum cum Otto & principes assiderent Leoni Papae praesens non fuerit, adeoque authenticum coram Pontifice testimonium non deposuerit,

rit, manifestum est, nec testimonium illud ab Ottonem & universa Principum Synodo audiri, nec à Pontifice explorari, nec ab utrisque in posterum allegari potuisse. Annon igitur evidenter consequitur, fundamentum, cui juxta Redingium inniti debuit judicialis illius consecrationis approbatio, testimonium nimirum authenticum vocis cœlestis ter à populo auditæ, planè nullum fuisse, adeoque tum invalidam fuisse consecrationem Papæ, tum Ottonem & Principum eum stipantium chorum, de eo nihil vel audivisse à populo, vel testari apud alios potuisse. Nullam igitur Imperatori & præsentibus Principibus facimus injuriam, si quod præsentibus non audiverunt, nec uspiam se audivisse testati sunt, in illorum gratiam non credimus. Etenim si hodiè que superstites essent, non imposerent nobis necessitatem credendi id, quod ne ipsis quidem compertum unquam fuit.

VII. Tertio mirari subit, cur tantam reverentiam Ottoni, Episcopis ac Principibus illis me habere jubeat Adversarius, ut in eorum gratiam credere debeam, veram & sanctam esse relationem Conradi, cui coram Pontifice nihil aliud, quàm sedentaria quadam assentiendi necessitate auscultârunt: cum tamen ignorare non potuerit, quàm indignis modis ipsimet Papistæ Ottonem & Episcopos cum illo in Synodo Romana congregatos

gatos passim exagitent & traducant. Anno
 963. conventus Romæ indictus est, in quo
 Johannis XII. Papæ causa disceptaretur. In-
 tererant Otto Imperator, omnes prope Ro-
 mani & Italiae Episcopi, Aquilejensis Patriar-
 cha, alique Archiepiscopi, Cardinales, Epi-
 scopi, quorum catalogum recenset Luit-
 prandus, & Regino Abbas Prumiensis. In
 ea Synodo solenniter depositus est Johannes
 XII. Papa, & surrogatus ei Leo VIII. Vin-
 dicam, quibus probris Ottonem, Archiepisco-
 pos, Cardinales, Episcopos eos omnes incessat
 Baronius & ipse Cardinalis? Verba ejus ad A.
 963. ponam: *Unum loco omnium hoc satis habeto,
 nunquam me legisse. Orthodoxorum conventum Syno-
 dalem aliquando habitum, in quo magis Ecclesia-
 sticum jus offensum, magis canones violati, vulne-
 rata traditio, conculcata, oppressa atque majore
 dedecore prostrata justitia. Mentiar, nisi tu ipse
 ista cuncta, cum videris, manibus tetigeris (sicul-
 tor es justitia) pra animis indignatione exclamare
 cogaris, ô indignum facinus, audax & insolens, nisi
 tamen te cohibeant, tum turpis vita Johannis, tum
 Zelus Imperatoris, de quo illud Apostoli congruè di-
 ci potest: Testimonium ipsi perhibeo, quod Zelum
 habet, sed non secundum scientiam. Quâ carentes
 Episcopi illi, in quibus esse debebat, sibi aliisque pa-
 ravere ruinam, sicut si cæcus cæcum ducat, ambo
 in foveam cadant. Quo nomine ea divina sententia
 ipsi primum privandi fuerant sacerdotio. En quam
 digna-*

dignationem Ottoni, Archiepiscopis, Cardinalibus & tot Episcopis habet Baronius & ipse Cardinalis! Me quidem, quia in dubium voco narrationem ab illis non manantem, sed auditam duntaxat, accusat Adversarius, quod Imperatorem, tot Episcopos ac Principes approbationi praesentes *de levitate arguere praesumam*, quanquam levitatis hoc stigma iis minime inuro. Quid ergo faciet Ecclesiae Romanae Cardinali, qui non levitatis duntaxat arguit Ottonem & Episcopos, sed ecclesiastici juris offensi, canonum violatorum, vulneratae traditionis, conculeatae, oppressae & prostratae iustitiae, Zeli sine scientia, denique tam indignorum facinorum, ut Episcopi illi Divinam sententiam sacerdotiorum privationem meriti fuerint? Annon in causa aliqua nobis favorabili, & odiosa Papistis, velut in eo, quod jus eligendi & deponendi Pontifices, Concilia indicendi sibi arrogavit, & donationes Ecclesiae Romanae factas a Carolo, Pipino, Ariperto, aliis revocavit; Ottonem illum & totum Episcoporum chorum inestabilem faceret? At nunc eorum testimonium adversus nos prolatum tanquam *egregio* *peris* validum & authenticum agnosci imperat. Sic nimirum adversarii vela sinuare, & inservire scenae solent.

VIII. Atque haec quidem dicere haberem, si Leonis Bulla omnino germana & genuina esset.

esset. Sed de hac ipsa Bulla controversiam jam olim non à nostris, sed ab aduersarum partium antesignanis motam videmus. Etenim A. Ch. 1430. Otto; anno verò 1515. Hugo, ambo Constantienses Episcopi eam, utpote sibi suspectam, disertè oppugnârunt. Et argumentum evidens *vað etas* præbere videtur, quòd duobus post Bullam à Leone, uti ferunt, scriptam mensibus, nimirum x. Kal. Februarii An. 966. cum Leonis Bulla consignata dicatur III. Idus Novembris anno 964. Otto Imperator à Duce Burkhardo sollicitatus, publico diplomate Monachis Einsidlensibus concessit *firmissimam potestatem eligendi quemcunque inter eos Abbatem voluerint.* Quis non statim cogitet, Ottonem confirmatæ ante duos retro menses à Leone Papa dedicationis mentionem fuisse facturum? Occasio enim locupletissima erat tanti miraculi paulò ante ab ipso Pontifice approbati decantandi. Etenim vel solius illius ratione habitâ petitioni Burkhardi album calculum addidisset. Cùmque confirmationi illi Papali ipsemet præsens fuisse dicatur, sanè hoc ipsum indicio aliquo Diploma illud prodere debuit, saltem, ut suam ipse de re ita gesta confessionem ederet. Nunc meminit Imperator Meginradi Cellæ, *uti Dominus Eberhardus Heremita, in honorem sanctæ Mariæ, sanctique Mauricii, cæterorumque sanctorum Dei, Hermannique Ducis ad-*
jurorio,

*incerto, à fundamentis edificavit & cœtera edificia
 Monachis ad habitandum construxit. Debebat
 manifestè addere: Cujusque Sacellum Christus
 ipse dedicavit, uti nuper me coram Leo Papa ra-
 tum esse jussit. At dedicationis Sacelli illius di-
 vine vel factæ ante annos octodecim, vel
 confirmatæ duobus antè mensibus, ne mini-
 mo quidem apice vel indicio meminit. Et pe-
 titionem Burchardi benignè se suscipere ait ob
 amorem Domini Iesu Christi, suæq; mercedis aug-
 mentum. Scribendum fuerat: ob amorem Iesu-
 Christi, qui ipse Sacellum consecravit & religionem
 ejus instituit. Sed religioso hæc omnia diplo-
 ma silentio involvit. Hoc sanè vel solum ar-
 gumentum justissimam vestras suspicionem
 apud mediocriter circumspectos & pruden-
 tes inducere potest. Neque licet hic Adver-
 sario suum coccyssum regerere, nisi argu-
 mentum hoc autoritate tantum negativa.
 Nam Imperatori ob causas, quas recensui,
 incumberebat mentem suam declarare. Quo
 in casu argumenti negativi autoritatem va-
 lidam esse ipse Præpositus superiùs mihi con-
 cessit. Accedit & illud, quòd dedicationem
 inter & Bullam intercesserunt juxta calcu-
 lum vestrum anni sedecim. Cur quæso tam
 diu dilata consecrationis approbatio? Cur
 non viridi adhuc auditæ cœlestis vocis apud
 populum memoriâ, miraculum oblatum Pon-
 tifici tum rerum potenti, saltem per litteras?
 Acce-*

Accedit, quoddam Bullæ ejus ante Henricum Episcopum Constantiensem, qui An. 1363. eam dicitur describi curasse, nemo meminerit, uti infra ostendimus. Innocentii quidem I V. Bulla prima confirmatoria prætenditur, quæ tamen hætenus, quantum sciam, edita non est. Inter ipsum tamen etiam & Leonem tria ferè secula intercesserunt.

I X. Fatetur Dissertatio Synodalis, ex quo vulgatum creditumque est, à Christo Sacellum consecratum esse, maximo illud confluentium concursu tanquam sacrosanctum & gratis imperiendis ditissimum frequentari cœpisse, & hodieque frequentari. Subsumit Dedicacionis promachus: At non tantum ex historia Dedicacionis per auctores antiquissimos descripta, sed ex vivo Conradi, imò & voce celesti à Conrado, Udalrico & universo Populo, rex audita, ceu firmis per auctoritatem Imperatoris, Principum, Episcoporum argumentis constat, illam consecrationem à tempore proxime relato creditam & vulgatam esse. Concludit; Ex mea igitur confessione ab isto antiquissimo tempore Sacellum Einsidlense, tanquam gratis imperiendis ditissimum frequentari cœpisse & hodieque frequentari. Sed hæc tua demonstratio ex mea confessione petita, flaccido tibicine subnitiur. Primum enim, si tibi argumentum ex mea confessione deductum concederem, nihil aliud impetrares, quàm inde à septem seculis Sacelli

Sacelli Eremitani religionem invaluisse. At Divinam propterea, Deoque placentem esse, solo hoc à tractu temporis petito argumento minimè convinceres. Nisi eadem operâ concessurus es vel Muhammedanis, suam ad Meccanum templum peregrinationem, vel Paganis, Deorum suorum cultum Deo placere, quia duravit longè pluribus quàm seculis septem. Sanè simili argumento utitur Cicero Act. in Verrem 4. pro religione idoli Eneïdæ: *Tanta erat auctoritas & vetustas religionis illius, ut cum illuc irent, non ad adem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur.* Et quàm frivolum sit illud pro religioso cultu ab antiquitate petitum argumentum, ostendi dissert. 11. § 1. contra Præpositum. Secundò multa hinc vi rapis, quæ pretio auferre debueras, ut conclusio solida exiret. Tale est, quòd historiam dedicationis per auctores antiquissimos descriptam ais, cum tamen integro trium seculorum post illam intervallo ne unus quidem author ejus meminerit; quòd ex vivo Conradi testimonio & cœlesti voce ter audita eam demonstrare satagis, cum tamen vel de Conradi visione, vel de oraculo ter insonante & audito, nihil omnino, uti supra ostendimus, liquidò constet; quòd denique Imperatoris & tot Episcoporum ac Principum testimonium jactas, cum tamen illi nec testes fuerint de visu, nec pro
certo

terro constet; an unquam tale quid ex Conrado Romæ audiverint. Hæc omnia firmiter tibi probanda sunt prius, quam tanta cum fiducia & securitate in iis causæ tuæ proram ac puppim colles.

X. Sed observantiam subsequutam & durationem continuam ac immemorabilem validum hîc esse argumentum, probat Adversarius ex jure tum naturali; tum Divino. Et ex jure quidem naturali, quia tanti temporis observantia continuata à titulo illo procedente defluerit, & durationem illam acceperit. Ex Divino autem, tum quia Augustinus lib. contra epistolam fundamenti cap. 4. asserit, inter alia quæ ipsum in gremio Ecclesiæ Catholicæ continent, esse consensionem populorum atque gentium, ibidemque antiquitatem posuerit inter notas veræ Ecclesiæ; tum quia ipse Gammaliel Act. V. pronuntiat: *Si ex hominibus est consilium, dissolvetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Atqui in tua hac argumentatione εὐδὲν ὀψιᾶς, nihil sani agnosco. Vel enim hîc jactas durationem & vetustatem conjunctam cum rectitudine cultus & veritate doctrinæ, vel durationem & vetustatem seorsim. Si prius, non sufficit unius & alterius seculi vetustas & duratio, sed ea requiritur, cujus principia figuntur in Christo & Apostolis. Scitè Tertullianus: *Id verius quod prius, et prius, quod ab initio, ab initio quod ab Apostolis.*

Addo,

Addo, quod per se sequitur, quod à *Scripturis*
 à *scriptis Apostolicis* est. Hanc vetustatem &
 durationem cultus vestri Eremitani ubi de-
 monstraveris, rem confectam dabis. At ne
 unius quidem diei vetustatem & durationem
 ejusmodi tibi concedo. Si posterius, quid ab-
 surdus statui potest? Sic enim quæcunque
 ante aliquot secula, imò ante tempus memo-
 riam excedens, dicta factæve sunt, recta ve-
 ràque censenda erunt, sive cum Divinis prin-
 cipiis consentiant, sive non. Quo nihil omni-
 nò dici perniciosius potest. Sic enim mulier
 Samaritana pro antiquitate loci divini cultus
 contendens, & exemplum *Patrum* Abrahami
 nimirum & Patriarcharum objiciens, rectè
 argumentata fuit. Et Pagana ac Muham-
 medana religio eo indicio pro Divina & legi-
 tima agnoscenda erit. Quin & nostram re-
 ligionem hoc principio fretus Divinam esse
 fateri necessum habebis, utpote quam nega-
 re non potes tempus memoriam excedens
 durasse, quæque ipsis inferorum portis insu-
 perabilis durabit usque ad gloriosum adven-
 tum Christi. Sed & Johannæ Papissæ histo-
 riam ἐκονη ἀκονησε θυμῶ hoc argumento au-
 thenticam fuisse evincam. Nam minimum
 per quatuor secula, nemine contradicente,
 unanimi fide recepta est. Secundò peccas su-
 pra modum, quòd à rebus naturalibus & ci-
 vilibus ad supernaturalia & spiritualia, à
 præ-

præscriptione & possessione immemoriali temporalium dominiorum ad præscriptionem & possessionem fidei ac veritatis, adeoque *in alio* *in aliud genus* saltum facis. Novimus equidem naturali jure constitutum esse, ut possessio immemorialis & longi temporis præscriptio titulum civilis domini legitimum, nisi validissimæ in contrarium rationes obstant, fundet. Cujus rei duplicem rationem afferunt juris tum naturalis tum civilis consulti. Prior, quia nemo præsumitur rem suam tam diu apud alterum sciens voluisse permanere, cum commodè eam vindicare posset, nulla saltem contestatione juris sui facta, per quam jus integrum servatur, nisi ipse eam pro derelicta haberet & alterius possessionem approbaret. Posterior, ut litium infinita seges suffocaretur, quas excitari necessum foret, quando tanto post tempore à quarto aut quinto possessore, qui ad eam rem justo ac fors oneroso titulo pervenit, eadem repeteretur. At in rebus fidei, veritatis, religionis nulla præscriptio, nulla possessio quamvis diuturna efficere potest, ut hoc solo titulo verum sit, de quo ambigendi suppetunt rationes, vel rectum piùmque, quod aliquis circa Divinum cultum facere instituit. Non enim sicut res civiles sunt in dominio & patrimonio possidentium: ita fides & veritas est in dominio & patrimonio contentium, sed

uni

uni solique Deo inservit, & ejus voluntati ac
 potestati subjacet. Nihil proinde ei decedit,
 si maxime longissimo tempore homines in
 ejus locum errores possideant, & veritati per
 mendacium præscribere cõentur. *Authori-
 tas religionis & cultus Divini non tempore asti-
 manda est, sed Numine, uti scitissimè docet Ar-
 nobius lib. 2. contra Gentes. Et quis ignorat,
 in jure civili communem & receptum inter omnes
 errorem facere jus & confirmationem, uti scribunt
 Jurisconsulti in L. Barbar. D. de off. Prætoris?*
 An propterea idem valebit in rebus fidei?
 Tertio patres antiquitatem continuam &
 nunquam interruptam, adeoque temporis
 longi, nempe inde à Christo & Apostolis re-
 petiti præscriptionem opposuerunt hæreticis.
 Sed ita ad traditionem provocantes, à scri-
 pturis non recesserunt. Fatebantur enim, se
 una cum regula credendi etiam scripturas acce-
 pisse Propheticas, & Apostolicas, *fidei colum-
 nam & fundamentum*, uti Irenæus lib. III. cap. I.
*Τῆς πίστεως ἀγκυρία, ἀγκυρῶν καὶ ἐρείσμων, fidei
 primitiis, anchoram & fulcrum*, uti Athanasius
 nuncupant. At vestra illa, quam jactatis, tra-
 ditio & continua antiquitas illud principium
 non habet. Opponitur enim fidei ex scriptu-
 ris probatæ, & contra ejus analogiam arietat.
 Quo sensu dicimus cum Tertulliano *Apologët.
 cap. 47.* sine Divina literatūra nullius esse mô-
 menti antiquitatem. Antiquior enim omni-

bus veritas, nisi fallor. Et planè aurea sunt verba ejusdem Doctoris lib. de velandis Virg. cap. I. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim ferè consuetudo in usum per successionem corroborantur, & ita adversus veritatem vindicantur. Sed Dominus noster Iesus Christus veritatem se non consuetudinem nominavit. Si semper Christus, & prior omnibus, aequè veritas sempiterna & antiqua res. Hæreses non tam novitas quàm veritas revincit. Quod cunq; adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Vides ergo de antiquitate antiquitatem nos consentientem habere. Porro tua illa, Redingi, antiquitas continua, si talis est, qualem præfers, originem habet à decimo, quo dedicatio successisse legitur, seculo. Si verò res ritè expendatur, non arcessenda fuerit nisi à trecentis vel quadringentis annis proximis, literarum omnium foeda ignorantia & morum inter sacri ordinis homines licentiâ, depravationeque contaminatis. Atque sic pro genuina & tali antiquitate, quæ cultum Divinum commendat, meram, si ad Christi Apostolorumque & multa exinde secula conferas, novitatem, meras fœces supponis. Nam *id spatium temporis* (loquor cum Tacito aut Quintiliano Dial. de Orator. cap. 8.) *si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, forzasse longum**

longum videatur: si ad naturam seculorum & respectu hujus immensæ ævi, quod primitivam Ecclesiam ac nostram ætatem interjacet, perquam breve & in proximo est. Patres autem veram antiquitatem inde à Christo & Apostolis repetunt. Quartò, Gamalielis dictum Act V. 38. perperam huc trahitur. Nisi forte illud favet Paganis, Muhammedanis, Arianis, Photinianis, Nestorianis, aliisque hæreticis, quorum doctrina notorium aliquem temporis tractum habuit, & adhuc dum habet. Sic igitur illud interpretari convenit, ne hæreses & mendacia in eo præsidium habeant. Sensus Gamalielis, subitum consilium suggerentis, est, Apostolorum de Jesu Nazareno dogma, si ex Deo non sit sed ex hominibus, cum ipso temporis successu expiraturum. Inde non licet inferre, Deo probari quicquid aliquandiu durat. Intelligit enim vel certè intelligere debuit καὶ τάλωσιν *dissolutionem* finalem, non definiti alicujus temporis, hoc sensu, ut quicquid Deum authorem non habet, tandem cum maximo colentium damno, & pudore dissolvendum sit. Quod sanè hæresibus omnibus & mendaciis universæque Sathanæ Synagogæ cæteroquin antiquissimæ tum contigit hæctenus, tum impostherum quoque continget.

XI. Sed Reformatos ipsos *continuatam observantiam & antiquitatem pro veritatis Divina*

nota agnoscere vis, simulque nobis opponis illud Tertulliani lib. de præscript. cap. 37. Quæ estis vos? Unde & quando venistis? Ubi tam diu latuistis? Ita cornicari amas. Veram antiquitatem honoramus, id est, dominicum & verum, quod est prius traditum, uti Tertullianus loquitur. Quod erat Christi, Apostolorum tempore, id solum verè antiquum est. Hi sunt illi patres, illi antiqui dierum, quorum termini movendi non sunt. Cæteri qui ab illo tempore exorti sunt, apertè nobis interdiciuntur Ezech. XX. 18. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiat. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & ea facite. Vos ergo fucatam, nos veram; vos ab Apostolica & prima veritate segregatam, nos cum ea conjunctam per consanguinitatem doctrinæ antiquitatem commendamus. Tertullianum non rectè citas. Sic autem verba ejus habent de præscript. adversus hæreticos cap. 14. Non Christiani nullum jus capiunt Christianarum literarum, ad quos merito dicendum est: qui estis, quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion jure sylvam meam cædis? Quæ licentiâ Valentine fontes meos commoves? Mea est possessio, quid hic cæteri pascitis & seminatis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus

bus quorum fuit res. Ego sum hares Apostolorum. Vos certè exheredârunt semper & abdicârunt ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unus quisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut prozult, aut recepit. Provocat ad unitatem & consanguinitatem doctrinæ Apostolicæ. Hæreticos doctrinam ab Apostolica diversam tenentes hunc in modum traducit. At nos authores fidei nostræ non tantùm prædicamus & profitemur, sed etiam demonstramus Deum, Christum, Prophetas, Apostolos, scripturas. An Deus omnipotens, Christus, Prophetæ, Apostoli, Scripturæ, novella res sunt? Ita quærimus cum Arnobio adversus Gentes lib. 2. Qui authores sunt nostræ religionis, ab illis venimus. Ab illis authoribus sumus Christiani: religio nostra divina, Apostolica. Vos autem Papalixtæ, quinam estis? Unde venistis? Idolomaniæ vestræ auctoritatem Apostolicam ostendite. Ad vos ex Tertulliano dicit Ecclesia Catholica: Qui estis? Quando & unde venistis? Quo Sacrificule jure sylvam meam cædis? quâ licentiâ Franciscane fontes meos transvertis? quâ potestate Dominicane limites meos commoves? Mea est possessio: quid hîc cœteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo ori-

gines firmas, ab ipsis authoribus, quorum fuit res.

XII. Ait Synodalis Dissertatio § 15. lippis & tonsoribus notum esse, quanta hodiéque in veneratione sit sacellum Eremitanum. Hanc meam confessionem Adversarius mirifice ingeniosus rapit in consensum. Si ergo subsumit, istud sacellum divina consecrationis argumentum habet ex septingentorum annorum observantia nunquam interrupta, hodiéque per communem Catholicorum consensum continuata, fatendum est, talem consecrationem nisi Divino quasi argumento, & notâ veritatis infallibilis, pag. 17. Tu verò, D. Decane, nondum cornicum oculos configis. Etenim in antecedente plus rapis, quam Tibi dederim, in consequens verò plus infers, quàm decuerit. Hodiéque in veneratione esse sacellum Eremitanum dixi: at nec quàm justa, piâque sit illa veneratio, dixi, nec devotam fidelium septingentorum annorum observantiam nunquam interruptam largitus sum. Nec ex septingentorum annorum observantia Divinum argumentum nectere debebas. Nam longè plurium annorum observantiam allegant Muhammedani peregrinantes Meccam ad sui Prophetæ sepulcrum. Imò Judæi plerorùmque rituum suorum, quos Christiana pietas non amplius moratur, observantiam altius, quàm ab ipso Mose repetunt. Lindschotto & Maffejo vestro testibus

bus in India, insula nimirum Zeylan, monte Pico de Aram, longissimo tempore & maximo concursu hominum religiosè cultus est densissimæ, quem superiori seculo Portugallicum occupassent, cremârunt, nec quicquam Indis redemptionis pretium offerentibus septingentos mille Ducatos. Quis verò, cui aliquid *salutis lævæ in parte mamilla*, continuatam hanc tot annorum observantiam, Turcis, Judæis, Indis Divinum cultus sui argumentum notamque veritatis infallibilis esse concedet? Sanè quæ hæctenus affers argumenta, talia sunt, ut sub eorum involucris quælibet profana religio & impietas delitescere, seque tueri queat.

XIII. De Evangelicorum circa præsentiam Christi in Eucharistia dissidio diximus in Reformatorum Theologorum vindiciis. Id unum nunc moneo, quam præpostera sit tua argumentatio: *Olim Zwinglius Lutheri dogma, ut absurdum traduxit. Hottingerus verò nuper illud voluit esse adiaphorum. Ergo Zwinglianum dogma non ita habet veritatis Divinae notam ex continuata observantia firmatam, ac aliud de Divina Sacelli Einsidensis consecratione mysterium.* An igitur si Zwinglius suam de præsentia Christi in Eucharistia sententiam ex ipsa Christi institutione & veteris Ecclesiæ sensu repetitam asseruit adversus Lutherum; Hottingerus verò, uti impudenter fingis, ab ea resiliit; se-

quitur vel antiquius esse Eremitanæ consecrationis mysterium, Zwinglii de Cœna Domini dogmate ab ipso Christo arcessito: vel dogma nostrum de eadem præsentia Christi non amplius verum Divinumque esse, quia adiphorum esse Hottingerus, cui id falso imputas, asseruit? Miseret me tui, optime Decane, quòd in caducos adeò parietes, nimio cœcæque malæ causæ tuendæ studio, inclinas!

DISSERTATIO SECUNDA.

Quâ Sacelli Einsidlensis supra cameram Lauretanam prærogativa, nec non ejusdem tum cultus Latriæ, Dulciæ & Hyperdulciæ, tum efficta ei à Redingio tributa disceptantur.

BREVIARIUM.

Adversarii de cultu Sacelli Einsidlensis sententia.

1. An is Sacellum Eremitanum extulerit supra cameram Lauretanam? 2. Argumenta ejusdem, quibus respectivum latriæ, hyperdulciæ, & dulciæ cultum Sacello Einsidlensi competere affirmat, examinantur. 3—9. Ventilatur distinctio inter cultum absolutum & relativum. 6. Explicantur loca Psal. 132: 17. & 99: 5. nec non 2. Paralip. 7: 2. eaque cultui respectivo non favore ostenditur. 6. De cultu latriæ & dulciæ sententia

rentia veterum. 7. Pani Eucharistico qua
 beatur reverentia, explanatur. Reverentia &
 religiosus honos distinguuntur. 8. An ad sacellum
 Einsidense peregrinationem remittere peccata
 ex opere operato Adversarius statuerit, & ad
 hoc dum absurdè statuat? 9.

I. **M**erito horruit author synodalis Dis-
 sertationis, referens verba Adversa-
 rii, quibus tum cameram Eremita-
 nam supra Lauretanam extollere visus est,
 tum sacellum illud cultu respectivo patriæ,
 dulciæ & hyperdulciæ venerandum esse docuit,
 tum denique Mariam meritorum suorum vir-
 tutem Divino illi sacello taliter impressisse
 statuit, ut eorum intuitu peregrinationes ad
 illud in re vel voto susceptæ remittant pec-
 cata venialia ex opere operato. Credidit e-
 nim, hæc omnia eò pertinere, ut cultus soli
 Deo debitus communicaretur creaturis, &
 remissio peccatorum merito Christo in soli-
 dum accepta non referretur, quorum utrun-
 que horrendum sanè est. Sed magno illo hor-
 rore liberare me conatus est is ipse, qui horro-
 rem incussit. Quàm feliciter id tentaverit,
 nunc dispiciendum.

II. Primò negat, se cameram Eremita-
 nam supra Lauretanam extulisse, & me hoc
 ipsi imputantem graviter increpat. Sed me
 quidem & causæ meæ parùm refert, fecerit

hoc nec ne Utrumque enim ex æquo improbo
 & refello. Ipse tamen plurimum suâ referre
 intellexit, ne Lauretanos crabrones, Divæ
 nempe illius promachos excitaret, sibi que in-
 festos experiretur. Invidiam igitur declinare
 conatur hoc argumento, quod *titulus ex myste-
 rio incarnationis intra domum Lauretanam peractæ
 desumptus majorem fundet latriæ respectiva cultum,
 quam illa mysteria presensa Christi & transsub-
 stantiationis peractæ in domo Eremitana*, pag. 20.
 Sed primò neutrum mysterium, nec Laureti-
 nec Eremitæ peractum, si verum est, fundat eum
 cultum, quem utrique non sine manifesta Dei
 & Christi injuria impenditis. Secundò in
 domo Lauretana mysterium incarnationis
 non est peractum, uti nec mysterium conse-
 crationis in sacello Eremitano. Probat syno-
 dalis Dissertatio. Probant ejusdem vindiciæ.
 Tertio cameræ Lauretanæ tribuis cultum
 tum latriæ, ob mysterium incarnationis Chri-
 sti ibi peractæ, tum hyperdulix ob Mariæ in
 ea habitationem. At Sacello Einsidlenfi non
 contentus tribuere cultum latriæ, quia Chri-
 stus in eo corporaliter præsens sacrum altaris
 officium peregit, & hyperdulix, quia B. Virgo
 ibi tum corporaliter apparuit, tum repræ-
 sentatur, vendicas insuper cultum dulix,
 quia sancti quidam in eodem comparuerunt.
 Annon igitur cameram Eremitanam extollis
 supra

supra Lauretanam? Nam quòd cultum dulciæ cameræ Lauretanæ etiam vindicare conaris, eò quòd in ea Angelus apparuerit, contortum nimis est. Nisi forte omnia loca cultu dulciæ veneranda sunt, quæ Angelus aliquis præsentia suâ cohonestavit. Atque sic omnes cœtus nostri tum publici tum privati, quibus angeli testes decori intersunt, & tot loca in quibus apparuerunt in corporibus, eodem cultu prosequenda fuerint. Accedit, quòd disertè asseris, vel saltem interrogando insinuas diss. 10. *quòd Deus omnium sanctorum locorum plenitudinem videatur contulisse in unum Deipara virginis Einsidense sacellum.* Cave autem, ne ob hanc insinuationem ipsi Lauretani, Compostellenses, Monserratenses, alii prope diem de te æmulationis ardore exciti vindictam expetant.

III. Sed cultum respectivum patriæ, hyperdulciæ & dulciæ tribui posse sacello Eremitano, tribus in universum argumentis probare conniteris. Primò, quia ejus exemplum habemus in Mose Exod. III. ubi locus in quo stabat Moses, vocatur terra sancta: nec non in Davide Psal. CXXXI. dicente: Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus; ut & 2. Paralip. VII. ubi Sacerdotes ex cultu erga Deum ac templum Domini abstinere debebant ab hujus ingressu, eò quòd Majestas Domini implèset templum. Secundò, quia distinctio patriæ, hyperdulciæ & dulciæ, fatente ipse

Calvus

Calvino, veteribus Ecclesia Doctoribus usurpata fuerit. Tertio, quia etiam panis nostro Eucharistico, qui juxta nos mera figura corporis Christi sit, non alius cultus quam latria respectivus tribui possit. Cùm igitur Christus corporaliter descenderit in Sacellum Einsidense, ibique sacrum altaris officium peregerit, atque in Templum sibi suæque matri dedicaverit: præterea eundem comitatus fuerit chorus B. Virginis & Sanctorum, concludit, non nisi detractis terrena sollicitudinis calceis, cum reverentia summa & cultu latria in Christum relato Divinum hoc Templum ingredi licere, pag. 21--24.

IV. Facile esset nobis has nebulas diffilare, submoto duntaxat cultûs, qualemcunque tandem ex scripturis probare possunt, fundamento. Etenim non aliud cultûs illius religiosi sacello debiti fundamentum habes, quàm apparitionem Christi & Sanctorum Sacellum consecrantium. Cùm autem illa vel omnino non contigerit, vel si contigit, Divina non fuerit, patet fundamento omni religiosi cultûs vos destitui. Sed supponamus & contigisse illam apparitionem, & Divinam fuisse: cultum tamen, quem ei adversarius vendicat, illegitimum adhuc esse contendo.

V. Distinguis igitur inter cultum latriæ, hyperdulæ & dulæ *absolutum & respectivum seu relativum*. Hunc non illum sacello deberi statuis. Quomodo etiam imaginibus cul-

tum deberi asseritis relativum, analogicum, reflexivum. Atqui primò quotusquisq; est ex plebe vestra, quæ longè maxima pars religiosè colentium, qui has distinctiones vel audiat, vel auditas intelligat, vel intellectas ritè applicet? Quotusquisque coram imagine, coram sacello consecrato prostratus & adorans, non eodem modo id facit, & eodem animi motu, quo in Deum ipsum fertur? Quotusquisque est, qui non existimet, se actum virtutis religionis exercere, imò qui non apud se statuatur, nullum exerceri majorem posse? Hinc peregrinationes illæ difficiles & sumptuosæ, ut ad locum talem accedant, in quibus existimant Christum, Mariam, Sanctos efficacius operari; nec expectant donec ad locum illum devenerint, sed cum primùm eminus Templi turrim conspiciunt, tum proni in terram *προσκύπτουσι* adorant. Etsi igitur in cathedra vestra sive Scholastica, sive quandoque etiam Ecclesiastica distinctiones ejusmodi, ad palliandam nimis horrendam idolomaniam, sonant; in ipsa tamen praxi, in qua potissimum omnis ratio cultus vertitur, minimè observantur. Secundo de cultu patriæ absoluto & respectivo ipsis Doctoribus vestris non convenit. Sanè Peresius Ajala, cum diu Scholasticorum *relativam adorationem* oppugnasset, inquit: *Hujus doctrina si consideremus imaginem Christi, vel Sanctorum, ut repræsentativa est, sic deberi illis reverentiam*

riam & adorationem, qua & ipsis rebus, quas repræ-
sentavit, debetur; nullum quod ego viderim affe-
rum validum fundamentum, quod possit fideles ad
id quod docent, obligare, De Tradit. pag. 3. de I-
mag. Et concludit, Ecclesiæ censuram se hîc
desiderare, & Episcoporum diligentiam, quo-
rum munus præcipuum est totis nervis incumbere,
ne greges sibi commissi inter pietatis pabula, qua
sine impietatis & superstitionis offendiculo esse de-
bent, mortiferum aliquid deglutiant. Quod ple-
rumque in his rebus evenire solere, maximè
apud idiotas & simplices agnoscit. Quid
quod Thomas, Cajetanus, Bonaventura,
Marsilius, Catharinus, Capreolus, alii eun-
dem cultum imaginum, qui prototypo, debe-
ri contendunt? Tertio distinctionem vestram,
quo quæso argumento probatis? Ubi Deus
cultum patriæ respectivum, cujus objectum
proximum creaturæ, remotum Deus sit, in-
stituit? Ubi primitivæ Ecclesiæ patres com-
mendant? Annon eadem distinctione olim
Moscholatriis Israelitis, hodièque Paganis ido-
latriam suam incrustare proclive esset. Et
si rebus omnibus, quæ relationem vel respe-
ctum habent ad Christum, cultum patriæ,
quamvis deficiente mandato, respectivum
homines debent, in immensum cultus multi-
plicabitur. Adoranda erit aqua baptismalis,
Sabbathum, Evangelium, ejus ministri, imò
res

res vilissimæ, quatenus ad Deum referuntur, uti deliravit ipse Vasquezus. Ne quidem in civilibus valet, ut quo honore principem colimus, eodem colamus omnia, quæ ad ipsum certis modis referuntur & respiciunt; verbi gratia, edicta, diplomata ejus cum sigillo. Principi flectimus genua, & ab eo tanquam hero nostro quæ desideramus, petimus: quem honorem sive absolutum sive relativum edictis vel diplomatis ejus minimè habemus. Quarto latriam respectivam cum tribuis Sacello, latriam sanè ei tribuis. Adorandum igitur Sacellum, & omni cultu Christo aliàs solique Deo debito prosequendum sciscis, dummodo proximè quidem figatur in Sacello, obliquè autem & remotè Christum respiciat. An, quæro, hoc horrendum non est?

VI. Frustra conaris similia cultus hujus latriæ, hyperdulæ & dulæ respectivi exempla promere. Etenim Moses terræ, in qua apparebat ipsi Deus, cultum ejusmodi latriæ respectivum minimè impertit. Reverentiam testatus est externo signo: at locum eodem sive absoluto, sive respectivo latriæ cultu prosecutus non est. Psal. CXXXII. 7. inquit Regius vates: *Introibimus in mansiones ejus, incurvabimus nos scabello pedum ejus.* Ita Hebræa sonant, & à Vatablo etiam redduntur. Vulgatus: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, quia sanctum est.* Ubi perperam vulgatus habet:

bet: *Adorate scabellum pedum ejus.* In Hebræo enim est להרותו להרותו non יהרום. Objectum igitur adorationis non erat arca, sed Jehova apud arcam adorandus. Neq; enim Deus uspiam præcepit adorationem arcæ, sed jussit ibi adorare, ubi nominis sui memoriam consecravit, nempe solum Deum habitantem super arcam in medio duorum Cherubim. Ostendant igitur Adversarii, Deum loca illa, quæ prædicant, definitè consecrâsse suæ adorationi. Ostendant adorationis mandatum simile illi, quo jubebantur veteres adorare Deum ibi, ubi erat scabellum pedum ejus; & postea ibi adorent solum Deum, non vel sanctos, vel imagines, vel reliquias, vel locum ipsum quocunque patriæ cultu, sive absoluto sive respectivo. Aliàs Jes. LXVI. 1. tota terra vocatur *Scabellum pedum Dei.* An igitur tota terra eodem cultu afficienda? Quod verò 2. Paral. VII. 2. Sacerdotes domum Jehovæ ingredi non potuerunt, ejus rei ratio redditur כי כבוד יהוה אלהים מלא את בית יהוה quia implevit gloria Jehovæ domum suam. Apparebat nempe Jehova in extraordinario signo, cujus majestatem non tulissent homines peccatores. Quid verò hic populus? An domum Jehovæ cultu patriæ venerati sunt? Minimè verò. *Inclinaverunt se in faciem in terram super pavimentum, & adoraverunt & laudaverunt Jehovam.* v. 3. Idem vos faciatis ubique licet. Pietati non intercedi-

mus, sed superstitioni & creaturarum cultui. Mirari aliquis etiam possit, cum sacerdotes non sustinuerint intrare domum Jehovæ, cum eam gloria Dei implēset, quā fiduciā Conradus Episcopus sacello interfuerit, cum Christi & Sanctorum corporaliter præsentium gloria illud collustrasset. Majoris puritatis Episcopus ille sibi conscius fuerit, quàm vetusti Sacerdotes.

VII. De distinctione cultûs patriæ, hyperdulix & dulix, quæ sententia fuerit veterum, diximus in vindiciis Theologorum Reformatorum. Hoc unum hîc à Decano jure postulo, ut distinctionem cultûs patriæ & dulix respectivi ex eadem piâ antiquitate nobis etiam demonstrat. Hujus paradoxo apud veteres ne umbram quidem, sat scio, ostendere poterit.

VIII. De panē Eucharistico sic habe. Primò quòd panem Eucharisticum à nobis statui *meram figuram* corporis Christi asseris, mera cavillatio est, cui occurrimus in Reformatorum Theologorum vindiciis. Secundò panis Eucharistico reverentiam, religiosumque honorem, latiori nimirum notione ita dictum exhibemus debitam, at non cultum patriæ. Reverentia enim & religiosus honos triplici sensu ita nuncupatur, vel, quia elicitur immediate à religione, ut proprius ejus actus, vel quia imperatur à religione, tanquam aliquid nature

naturæ illius congruens, vel denique, quia & imperatur à religione, & fundamentum habet in relatione rei aut personæ alicujus ad religionem & cultum sacrum. Primo sensu religionis honos soli Deo debetur. Atque ita vos, qui eum etiam pani Eucharistico tribuitis, rei estis abalienati honoris divini. Secundo modo etiam honos civilis parentibus & summo Magistratui debitus rectè religiosus vocatur. Tertio sensu reverentia & honor religiosus improprie & laxè ita dictus, adeoque ipsa adoratione latius patens, impendi debet omnibus Divini cultûs instrumentis, Symbolis, adeoque etiam Eucharistico pani. Judicamus enim, honorem Deo debitum ipsi exhiberi minime posse, nisi cum singulari etiam reverentia tractentur ejus instrumenta, propter arctissimam illam connexionem quæ inter actum aliquem & instrumentum actûs intercedit. Etsi igitur nec panem Eucharisticum adoramus ut Deum, nec imagines ut terminos proximos religiosi cultûs, quod vos facitis, tamen iis quæ cultui divino inserviunt, adeoque etiam pani Eucharistico, in usu legitimo reverentiam debitam testamur. Quæ quidem reverentia positivè secundum actum *internum* consistit in devota agnitione dignitatis illius & officii, quod post *μετατροπήν* suam accepit, secundum *externum* verò in testimoniis illis *externis*, quibus debite testamur,

mur, symbola ejusmodi & organa divini cultus strictè sic dicti, tractanda esse eo modo, quo convenit, adeoque aliter, quam si profana adhuc essent. Quin & extra usum, etiam si nullam rem externam habeamus ex divina institutione consecratam & in religioso statu collocatam, sollicitè tamen cavemus, ne circa panem Eucharisticum, aliaque ejusmodi symbola quidquam admittatur, quo vel violetur vel minuatur illa reverentia, quæ in sacro usu vel cultu adhibetur. Sed utraque hæc reverentia erga benedicta symbola tum *positiva* in usu legitimo, tum *privativa* extra usum, immane quantum differt à cultu patriæ sive absoluto sive relativo, sub quo adoratio, alique Deo competentes honores comprehenduntur.

IX. Synodalis dissertatio Redingio tribuit, quòd statuat, *peregrinationes ad Sacellum in re vel voto susceptas remittere peccata venialia ex opere operato*. Hic Adversarius mira vertigine simul negat se hoc affirmare, simul absurdam eam sententiam probat eo argumento, quòd *experientia probatum sit, ingressos sacellum in ipso lumine horrorem pium experiri, aliquoties peccatores ita permotos scelerum suorum terrore, ut vi quadam internâ traherentur ad poenitentiam; insuper hereticam oculo sinistro cæcam ex curiositate visentem sacellum fuisse divinitus illuminatam & conversam &c.* que cum fiant independen-

per ab eorum meritis, annon liceat inferre Christum
ejusque matrem meritorum suorum virtutem sacel-
lo ita impressisse, ut eorum intuitu gratiarum effe-
ctus mirabiles efficiat. Hæc tua argumentatio
 vel vera est vel falsa. Si falsa, uti tanè est, po-
 teras eâ supersedere. Si vera, ingressus sacelli
 vestri corporis & animæ beneficia (inter quæ
 peccatorum venialium remissio minimum est)
 confert, & quidem independenter à meritis,
 vel dispositione ingredientium, adeoque ex
 opere operato. Quid hoc aliud est, quàm
 quod merito horruï, & adhuc dum horreo;
 sacellum nimirum vestrum impressam habere
 virtutem remittendi peccata ex opere opera-
 tor. Ne ipsum quidem Christi meritum, mira-
 cula, verbum, Sacramenta impressam habent
 virtutem remittendi peccata *ex opere operato*,
 hoc est, sive adsit fides & devotio, sive non:
 cum sine fide Deo placere sit impossibile. **Ec**
Sacello vestro tanta virtus insit? Horreo
iterum, iterumque horreo.



DISSER-

DISSERTATIO TERTIA.

De veneratione, in qua Sacellum
Einsidense apud ipsos Tigurinos
olim fuit.

BREVIARIUM.

An peregrinationem Eremiticam olim etiam à Tigurinis obitam oppugnans, oblitus videri debeat reverentia majoribus meis debita? 1. Adversaria inofficiosa erga majores meos humanitas. 2. Vindicatur argumentum contra peregrinationes petuum à Christi in Cœlum ascensione & ad dextram Dei sessione. Ratio, ob quam Israelita adorare solenniter Deum in templo Hierosolymitano debuerunt, evolvitur. 3. An Christi typica in Sacramento presentia lapide, vino in popina, pane in pistrino sacratior futura non sit, si Christum in uno magis, quam alio terra loco non amplius habiteat? An communio corporis Christi in Eucharistia circa localem presentiam obtinere possit? 4. Frivola argumentatio à Symbolo Apostolico, nec non analogia rerum naturalium petita, discutitur. 5. 6. Ratio ab antiquitate Basilicas pro intercessione sanctorum erigente petita ventilatur. Quem in finem templa in Ecclesia sint condita? An in honorem sanctorum olim Templa condita sint? Bellarmini frivola

Templorum & basilicarum distinctio. 7. An vorum, cui se olim Tigurini ad peregrinationem Eremitanam obstrinxerant, adhuc obliget? 8. Peregrinationes cum veritate fidei sunt àiōi sctōi. 9. An ad peregrinationes abrogandas Reformatioribus nostris miraculis fuerit opus? 10. Spuria olim ex peregrinatione Eremitana profati factus fuerunt non Spiritus Zwinglii, sed Romanorum Pontificum. II. Adversarii malignitas, in eudenda ex verbis meis blasphemia in B. Virginem, quam criminatur à me cum Milyta Babyloniorum venere comparatam. Cornelii à Lapide, Turonensium, Poëtarum, Iohannis Baptistæ Poza, Bernardi de Bustis impie comparationes B. Virginis cum Diana &c. Mos Babyloniorum veterum Milyta veneri litanium ex Herodoto describitur. Milyta idem quod מולדת Genes. 48:6. Cur Templum Babyloniorum appellatum fuerit Succorh benoeh? 12.

I. **E** Remitanam peregrinationem ante Reformationis tempora Majoribus nostris haud exiguo in pretio fuisse, Synodalis Dissertatio concedit. Miratur verò Decanus, hunc Doctorem adeò videri debita erga suos vel Parentes, vel majores reverentia oblitum, ut vel istos Idololatria, vel illos violata religionis tam aperte incuset, pag. 27. Reverentiæ erga Majores suos oblitus Doctor iste videatur tibi. At non illico videbitur bonis & cordatis.

Nec

Nectuum improprium moror. Simili enim argumentatione Redingius Josuam traducentem idololatriam suorum majorum cap. XXI V. 2. 3. Simon Magus vel Demetrius aliquis Cornelium Centurionem; Celsus, Libanius Lucianus aliique Philosophi pagani, Origenem, Justinum, Irenæum, aliosque quorum majores foedissima gentium Idololatriæ impliciti fuerunt, quàmque illi invictis argumentis confutârunt, tanquam suæ erga majores reverentiæ oblitos infamare potuissent. Quin & Celsissimus ille princeps tuus, quem nobis Ducem & antesignanum designasti, qui haud dubiè juxta placita vestra nostræ religioni hæreseos dicam jam si non animo, at certè professione scribit, ejusdem erga Majores suos Illustrissimos reverentiæ oblitus videbitur. Sed diceret ille, reverentiam majoribus debitam se extendere usque ad aras. Idem & tibi dictum memento. Deus ipse vetans, ne ambulemus in præceptis patrum nostrorum Ezech. XX. 18. nos ab intentato irreverentiæ crimine absolvit. Deinde Majores meos idololatriæ non accusavi. Servi fuerunt domini sui, cui steterunt juxta atque ceciderunt. Si quos accusare inducerem animum, salvis manibus accusarem eos, qui optimis & fortissimis Majoribus nostris, noxiâ & perniciosâ doctrinâ suâ viam salutis præcludere conati sunt. Quos pulsare pos-

sem verbis Salvatoris nostri : *Va vobis legis per-
 ritis, quoniam sustulistis clavim cognitionis. Ipse
 non intrastis, & intrantes prohibuistis. Luc. XI. 52.*
 Interim majores nostros à Pastoribus veris
 desertos, & tantum non luporum potestati
 subditos Deus in ea doctrinæ & cultus corru-
 ptione non reliquit orphanos, sed juxta pro-
 missionem suam, purioris doctrinæ reliquiis
 misericorditer pavit, dato eis spiritu discre-
 tionis, ut pretiosum à vili, invocationem Dei
 ab invocatione defunctorum, satisfactionem
 Christi ab operibus humanis, purum Dei ver-
 bum à traditionibus separarent, & in unica
 Dei gratia, rejectis prudenter erroribus, vera
 tandem fide acquiescerent. Quod in ipsa E-
 remitana peregrinatione à pluribus factita-
 tum piè credimus.

II. Ais, te ex fœdere, quo tui quoque Ma-
 jores civitatis Tigurinæ majoribus obstricti e-
 rant, magis pium te erga illos exhibiturum,
 adeoque valida ex sacris argumenta petitu-
 rum, quibus votivæ peregrinationes proben-
 tur. At poteras inofficiosa hac humanitate
 erga defunctos & quiescentes in cubilibus pa-
 cis, supersedere, & erga viventes fœderis ju-
 ramento conglutinatos charitatem tuam, si
 qua in præcordiis calet, exercere. Quod tum
 demum præstabis, si argumenta ex fontibus
 Israelis, non ex traditionum vel Sophisticæ
 vestræ

vestrae lacunis lutulentum fluentibus petita attuleris, quibus nos vel errantes in rectam semitam reducas, vel rite sentientes confirmes. Qualia non esse argumenta tua paucis lineis concepta, patebit ex meis, quas superius D. Baldingero impertivi, responsionibus, quas repetere hic nihil attinet.

III. Unum non omittam, in quo sibi mirifice placet Adversarius. Dixerat Synodalis dissertatio, in veteri quidem Testamento ex divino instituto unum alio loco sacrationem fuisse, quia Deus se adorari voluit eo in loco, quem elegerat. At in N. T. Deum nullum ejusmodi specialis suae in terris praesentiae symbolum & figuram delegisse, quia Christus in Coelum sublatus ibi thronum suum fixit, nulla in terra sive typica sive reali habitatione, quae coeteris locis sanctitate praestet, relicta. Unde collegi, in N. T. nullum amplius locum alio sacrationem esse. Hic stentoreâ voce declamat antagonista: *Quomodo igitur Sacramentum vestrum ob typicam seu figuralem Christi praesentiam erit lapide sacratius, si Christus in coelum sublatus ibi thronum suum taliter fixit, ut nulla in hisce terris sive typica sive realis habitatio seu praesentia sit relicta? Si gratia fidem conferens non pendet ex re corporali, quomodo Sacramentum Eucharisticum in Ecclesia Tigurina erit efficacius ad cultum Dei, quam vinum in hospicio, & panis in pistrino?* Ita putat se reperisse, quod

pueri in faba. Sed si tam verfatius esses, Redingi, & subactus in sacris, quàm es incoctus Sophisticæ, vim argumenti mei percepisses melius. Quæ enim ratio erat, cur Deus Israelitas iusserit adorare eo loco, quo arca erat? Annon quia arca erat symbolum præsentia Dei inter Cherubinos habitantis? Annon quia Deus habitabat in Sancto Sanctorum supra propitiatorium, veluti typo & symbolo? Quæ verò erat veritas huic typo & symbolo respondens? Utique Sanctum Sanctorum fuit figura Cœli, quatenus Christus Sacerdos summus & unicus in id ingredi, & in eo ad dextram Dei considerare debebat. Hoc discere potes ex Apostolo Hebr. VIII 5. IX. 12. 24. quibus locis perspicuè docet, *ἀγία χειροποίητα* sancta manufacta fuisse *ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν* exemplaria verorum, cœli nimirum, in quod Sacerdos noster pro nobis ingressus est. Hierosolymis igitur eo loco, quo arca fuit, Deus se adorari voluit, quia ibi erat sanctum sanctorum, typus rerum cœlestium, & summus Sacerdos quotannis semel Sanctum Sanctorum ingressus, typus Christi veri Pontificis, olim vi meritorum cœlum ingressuri & pro nobis apud patrem intercessuri. Annon igitur *νευνεχῶς* & solidè inde conclusi, in N. T. impletâ veritate, Christo Sanctum Sanctorum, cœlum ingresso & thronum suum occupante, neque ullo amplius extante in mundo ty-
po

po Christi in coelum ingressuri, adeoque Christo non amplius inter Cherubinos typicè, sed in Cœlo habitante, sublatum jam esse locorum discrimen? Extrante enim veritate, quod typirationem habuit, aboletur. At adoratio in peculiari loco typi, uti ostendi, rationem habuit.

IV. Frustra obstrepis, figuralem seu typicam in Sacramento Eucharistiæ præsentiam, lapide, vino in popina, pane in pistrino sacrationem non futuram, si nulla Christi in hisce terris neque typica neque realis habitatio seu præsentia sit relicta. Etenim primò typicam seu figuralem in cœna Domini præsentiam nobis affingis, qualem nunquam asseruimus, uti ostensum alibi. Secundò confundis *habitationem* typicam loci permanentem cum qualibet *præsentia* typica & symbolica. Nego Christum habitare in terris, sive typicè sive realiter, ita nimirum ut propter præsentiam ejusmodi localem permanentem, unus locus alio sit sacratior, adeoque cultui divino aptior propter mysterium, vel virtutem ei impressam, uti de suo Sacello Redingius finxit. Hoc enim esset Christum ex cœlis reducere, & pro veritate rerum futurarum umbras & typos substituere. At in legitimo cœnæ Dominicæ usu, Christum præsentem esse pani symbolico, qui ex divina institutione signum & sigillum est corporis ejus, non ne-

gō , sed disertè assero. Aliud est præsentia
 quælibet , aliud habitatio localis permanens,
 & talis quidem , per quam efficitur , ut locus
 ipse habitationis sit reliquis sanctior , & pro-
 pter sanctitatem ejusmodi adorationi & cul-
 tui divino peculiariter destinandus , quod de
 religiosis ejusmodi locis vos pronuntiatis. Ita
 fideles sunt templa Christi & Spiritus Sancti,
 in quibus habitat. Neque tamen ex divina
 institutione eorum corpora ita sacrata & in
 religioso statu collocata sunt , ut cultus divi-
 nus apud eos , haud secus atque in Templo
 Hierosolymitano divinitus sacrato factum
 est , peragi debeat. Tertio tua illa Sacramen-
 ti , panis Eucharistici nostri cum lapide , pane
 in pistrino , vino in hospicio comparatio pror-
 sus impia & profana est. Etenim panis Eu-
 charisticus secundum institutionem divinam
 consecratus signum & sigillum est gratiæ ju-
 stificantis & regenerantis , eam in legitimo
 usu significans , obsignans & exhibens. Quod
 de lapide , pane in pistrino , vino in hospicio
 dici non potest. Neque obest , quod corpus
 Christi *non corpus* sub larva accidentium con-
 tineri vobiscum non asserimus. Potest enim
κοινωνία σωματις & communio corporis Christi lo-
 cum habere circa præsentiam illam , quam fin-
 gitis , planè monstruosam. Panis & vinum cor-
 pus & sanguinem Domini nobis exhibent &
 obli-

obsignant relativè quidem, sed pro relatorum à Deo institutorum natura, longè potentius & certius bona promissa in manus nobis tradunt, quàm Testamentum res legatas, & literæ ac sigilla redditus annuos hæredibus & possessoribus exhibeant & obsignent. Nam si contractus humani suam habent firmitatem, institutio & promissio divina infinito certior est. Quartò denique subdole contendis typos & symbola rerum futurarum cum symbolis Eucharisticis, quæ sunt ἀνάμνησις recordatio mortis Christi. Illi re extante antiquati sunt, non hi. Ad illos pertinet peregrinatio ad locum divinitus electum, ut sit ἀντίτυπος rerum cœlestium, & Christi in cœli adyta ingressus. Proinde unâ cum ejusmodi typis exolevit. At symbola sacramentalia à Christo instituta ad typos ejusmodi rerum futurarum minimè pertinent.

V. Ridicula est tua argumentatio: *Annon in symbolo Apostolico est symbolum ingressus Christi in Cœlum, sub quo ipso etiam licet adorare Christum in spiritu & veritate.* Ita enim agis, quasi uspiam negaverim, apud symbola divinæ præsentia Deum in spiritu & veritate adorari posse. Ita bliteus non fui, ut hoc assererem. Intellexi symbola & typos cum veritate jam exhibita pugnantes, quale est electio loci alicujus præ alio, cui gratia Christi peculiariter sine Dei institutione alligatur. Deinde symbola

bola intelligimus hîc repræsentantiâ & adumbrantiâ rem futuram, non qualem cunque arrham, tesseram, vel indicium consensûs. Quomodo symbolum Apostolicum non rem futuram adumbrans, sed consensûs Apostolici indicium præbens, symboli nomine apud Ruffinum, aliôsque venit.

VI. Neque etiâ plus verisimilitudinis inest analogiæ, quam adducis, inter naturales & supernaturales præsentantiâ divinæ effectus. Sicut enim quoad res naturales Deus aliter operatur in India, aliter in Germania pro diversa siderum constitutione: ita *in gratiæ effectibus Deum quoque certa sibi delegisse loca, quibus, per suam providentiâ affixerit speciales Christi meritorum influxus, mediantibus sanctis suis, seu supernaturalium virtutum syderibus concedendos*, colligis, pag. 33. 34. Verum analogiam hanc debebas non ex ingenio tuo confingere, sed ex Dei verbo probare. Nôsti etiâ, Theologiam symbolicam non esse argumentativam. Deum naturæ operationem uniformem alligâsse locis, ita nimirum ut secundum consuetum ejus ordinem, quem ita fixit, ut pro lubitu etiâ refigere possit, aliter operetur in hoc quàm alio loco, ejusdem naturæ cursus uniformiter conformis manifestat. At in gratiæ effectibus eodem modo Deum procedere, revelatio, cui fides innititur, minimè docet. Quin potius locorum discrimen

scrimen sublatum esse & spiritum gratiæ flare, ubi vult, aperte demonstrat.

VII. Nec obstat nobis antiquitas, quam pro intercessionibus Sanctorum implorandis erexisse Sanctorum Basilicas, eaque veluti loca sancta divino cultui mancipata affectu piissimo, & devotione fidelissima adeundas statuisse, arguis, pag. 34. 35. De intercessionibus quidem sanctorum, qui fuerit veteris Ecclesiæ sensus, in vindiciis Reformatorum Theologorum diximus. Tempia in Ecclesia condita sunt, non ea opinione, quasi peculiaris sanctitas & efficacia ad sacrificia & orationes non solum publicas sed etiam privatas sanctificandas, & ad reliquias Martyrum honorificè asservandas & colendas, alligaretur locis, qui error vester est: sed ut fideles in loco, quantum fieri potest commodo ad cultum divinum peragendum congregarentur. Ubi publicis orationibus nihil vel religionis vel efficaciam accedit ex loco, sed ex communione sanctorum, quæ eadem est ubique locorum, sive in magnificis ædibus & Basilicis, sive in humili cata, sive supra terram, sive in locis subterraneis, conveniant. Unde sanctus Hilarius contra Auxentium: *Malè vos parietum amor cepit: malè vos Ecclesiam Dei in tectis adificiisque veneramini. Anne ambiguum est in his Anti-Christum esse sessurum? Montes mihi, & sylva, & carceres, & lacus, & voragines sunt tutio-*

ved. In his enim Prophetæ aut manentes, aut de-
 mersi Dei spiritum prophetabant. Et Hieronymus
 tempus vidit, quo hæretici omnes has Ecclesias
 possidebant. Ecclesia autem vera erat, ubi fide-
 rat. in Psal. 133. Quod verò pro sanctorum
 intercessionibus implorandis erectas Basilicas
 esse addis, planè falsum est. Eusebius enim
 in Orat. de laudibus Constantinii, inter ejus lau-
 des recenset, quòd mundum universum sa-
 cro-sanctis templis, ædes sacras & templa un-
 omnium Deo atque universali rerum Domino dedi-
 canda curaverit. Unde etiam, inquit, Temp-
 la, quæ erant ei consecrata, Domini nomen obtinuerunt:
 quod nomen non ex hominibus, sed ex omnium Do-
 mino illis fuit impositum, & propterea x̄p̄i x̄p̄i Do-
 minica sunt appellata. Inter Papistas autem vix
 unicum reperitur, quod Dei nomine vocetur,
 sed singula sancti alicujus nomine veniunt.
 Fateor equidem, veteres circa quartum secu-
 lum Templis sanctorum nomina imponere
 cœpisse. Unde etiam *Memorialia* vocabant,
 quia nominibus sanctorum templis impositis
 simul virtutum Sanctorum memoriam refri-
 cabant, simul unum ab alio templo discerne-
 bant. Sed nunquam Temp-
 la aliis, quàm soli
 vero Deo ædificârunt, ad eò ut S. Augustinus
 contra Maxim. lib. 1. pag. 689. Tom. 6. in hæc
 verba eruperit: *Nonne si templum alicui sancto*
Angelo excellentissimo de lignis & lapidibus face-
remus, anathematizaremur à veritate Christi & ab
Ecclesia

*Ecclesia Dei, quoniam creaturæ eam exhiberemus
servitutem (en dulia, non latria) quæ uni
tantum deberetur Deo. Quomodo cum S. Au-
gustino conveniet vel Redingio asserenti, pro
intercessionibus sanctorum implorandis eri-
gendas esse sanctorum Basilicas, vel Bellarmi-
no, de sancto cultu lib. 3. cap. 4. affirmanti, quod
sacra Domus non solum Deo, sed etiam sanctis rectè
ædificentur ac dedicentur? Neque se purgat à cri-
mine idololatriæ Cardinalis ille, subjiciens:
Esset idololatria eis erigere templa sub ratione tem-
pli, non autem est sub ratione Basilicæ. Quò etiam
allunt Redingius, qui sanctis erigenda docet
non Tempia, sed Basilicas. At talis differentia
inter templa & Basilicas commentitia est. Pri-
mò enim in praxi ejus nullus usus est, nec
à vulgo intelligitur. Deinde non potest ead-
em domus uno nomine sanctis dedicari sine
idololatria, altero cum ea. Diversa enim vo-
cabula rei naturam non mutant. Ita frustra
esset adultera, quæ sub variis nominibus se
prostituens, ab adulterio se purgare vellet.
Tum Basilica propriè est palatium regium.
Si igitur Basilicæ sanctis ædificantur, ipsi re-
ges erunt Templorum, non Deus, qua ratio-
ne non minuitur, sed augetur idololatria.*

VIII. Ecclesiam Tigrinam, olim voto so-
lenni ad religiosam peregrinationem Eremita-
nam obstrictam iisdem, quibus Hierony-
mus Epistola 48. Rusticum, qui peregrinatio-

R

nem

nem Hierosolymitanam voverat, verbis compellas: *Redde quod presente Domino spondidisti. Scilicet*

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atrida.
 Hoc nimirum optas, non tam ut Deo, quod ipsi debemus, reddamus, quam inprimis illud, ut populi nostri ignorantia vobis esse vegetigalis non desinat. Huic tuo desiderio prætexis votum à Majoribus nostris nuncupatum. Sed voti rationem eandem esse quæ est juramenti, non ignoras. Sicut igitur quod malè juratur, pejus præstat: ita quod malè vovetur, pejus impletur. Juramenta & vota esse vincula improbitatis non debent. Rectè enim Iidorus à Gratiano C. XXII. q. 4. citatus: *In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, qua scelere adimpletur.* Proinde sicut Majorum nostrorum peregrinationem Eremitanam Deo promittentium votum, quia verbo Dei repugnabat, jure nullum erat: sic quoque de facto à summa potestate tempore Reformationis legitime rescissum est. Annon Scholasticorum nominatim Thomæ 22. q. 88. artic. 10. & 11. Cajetani, Gregorii de Valentia, aliorum dogma est, Papam in voto abstinentiæ, si vergat in corporale periculum voventis, posse dispensare? Si igitur ob corporis periculum Papa à voto dispensare potest, cur in præsentissimo

limò animæ periculo summa & legitimâ nempe potestas, duce Deo & verbo ejus dispensare non potuerit? Respondeat denique argumento Adversarii Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, epistola ad Comitem, qui peregrinationem Hierosolymitanam voverat, data: *Fortassis autem dicis: Votum vovi Domino: transgressionis arguar, si irritum feci votum! Agnosco o Princeps, quia tu quidem alligasti te voto, sed Dominus officio: tu via, sed Dominus obedientiâ. Ita igitur Majores nostri se alligârunt voto, sed nos Dominus officio. Illi se viâ, nos Dominus obedientiâ alligat.*

IX. Argumenta Amplissimum Magistratum nostrum ad abrogandam peregrinationem Eremitanâ impulsisse duo, Synodalis Dissertatio ostendit. Quorum prius, quod ejusmodi religiosæ peregrinationes cum religionis Reformatæ veritate sint *inconvulsæ*. Posterius, quod variis sceleribus occasionem præbuerint. Hic Redingius primò argumenta nostra peregrinationibus opposita millies discussa à Catholicis Doctoribus esse, & meam specialem rationem in Dissertatione allatam ipsam etiam Reformationem confodere gloriatur. Sed vanâ est gloriatio. Ne semel quidem solidè discusserunt Doctores Pontificii. At Doctores Catholici Reformati, quin & ipsi Patres, in primis Hieronymus & Gregorius Nyssenus spontaneas illas angarias vestras,

imprimis eas comitantes gravissimos errores argumentis plus quam Achilleis contuderunt. Nec ratio specialis a me allata Reformationem confodit, uti superius in responsione ad argutias tuas manifestum feci.

X. Sed Reformatorebus nostris opus fuisse miraculis, utpote quæ data sint infidelibus, quales fuerint majores nostri, idololatricam de peregrinatione doctrinam, etiam sub voto tenentes, tricaris p.38. Atqui primò miraculo similem fuit, sine miraculis rem tantam & humanis concupiscentiis adversantem confici potuisse. Sanè Rhætiæ vicinæ incolæ nuper Divæ vestræ valedicturi, eò quòd majores nostri, pertingere non potuerunt. Secundò infidelibus quolibet tempore miracula data esse non dicit Apostolus, sed tempus intelligit, quo Canon Evangelii nondum promulgatus & passim notificatus esset, uti superius interpretem Augustinum audivimus. Tertio nec majores nostri infideles fuerunt. In externo Ecclesiæ corpore ante Reformationem fuerunt tum verè fideles, qui etsi erroribus infirmitatibusque impliciti, eò quòd juxta vaticinium Apocalypseo cap III.20. sinerent uxorem Jezabel, quæ dicebat se prophetissam, docere & seducere servos Dei, fornicari & idolothyta comedere; tamen doctrinam falsam & impiam non tenebant, nec profunditates Sathanæ omnino noverant: tum
factio

factio Papalis dominans, quæ instar anthracis externum Ecclesiæ corpus obsidebat, & adhuc dum obsidet. Neutri miraculis indigebant. Non *verè fideles*, utpote quibus miracula data non sunt, quique etiam sine miraculis, quàm primum veros Pastores audiverunt, iis se statim aggregârunt. Non *factio Papalis*, tum quia veritatem Evangelii, cujus capita positiva saltem, profiteri non desistebat, etiamsi additis & superstructis erroneis dogmatibus ea eversum iret, jam & prædicatam & plantatam sine miraculis discere poterat, tum quia pertinax in erroribus suis induit, qualibus nec Christus miracula edere voluit Matth. XII. 39. & XVI. 4.

XI. Profanum igitur cavillatorem te, Re-⁷
dingi, geris, qui majores nostros doctrinæ de peregrinationibus reformatæ juxta Heideggerum non alia miracula edidisse, *nisi quod ex unica processione vertente novem mensium spatio, septem spuris processerint*, scribere non vereris. Etenim illa peregrinantium scelera diu ante Reformationem patrata, inter alia etiam causam fuisse abrogatæ peregrinationis, non doctrinæ Reformatæ notam, vel miraculum, asserui. Peregrinantes illi, qui Veneri potius quàm B. Virgini litârunt, Papistæ fuerunt, animati non spiritu Zwinglii, quem eo tempore in civitate Tigurina prævaluisse scribis (cùm tamen pridem ante Zwinglium scelus,

quod memoravi, patratum fuerit) sed Romanorum quorundam Pontificum, puta Sergii III. qui teste Luitprando Ticinensi *lib. 3. de gest. Imper. cap. 12.* ex Marozia Johannem XII. postea Papam, spurcissimus adulter genuit; Johannis XIII. in adulterio, teste Sigeberto *anno 963.* deprehensi & confossi; Johanna Papissæ, quæ mulier scortationi operam dedit, concepit & peperit; Innocentii VIII. qui sedecim filios spurios ex diversis mulieribus suscepisse scribitur, de quo Marullus:

Octo nocens pueros genuit totidemque puellas,

Hunc merito poterit dicere Roma patrem;

Johannis XXIII. qui in Concilio Constantiensi accusatus est, quod cum uxore fratris sui & cum monialibus incestum commiserit; Sixti IV. pæderastæ, qui flagitium illud Cardinalibus nonnullis tribus æstivis mensibus, Junio, Julio & Augusto exercendum permisit, & teste Cornelio Agrippa, utrique Veneri lupanaria erexit, cui tale Epitaphium Wesselius *lib. 2. de indulgentiis* condidit:

Sixte jaces tandem, desinet tuabusta Cynadi,

Scortaque, lenones, alea, vina, venus.

Alexandri VI. qui cum Lucretia filia incestum commisit, quam & ipsam filius Pontificis Lucretiæ frater incesto concubitu polluit, de quo notum Epicedium.

Hic

*Hic jacet in tumulo, Lucretia nomine. sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.*

Vides quis fuerit horum Pontificum Spiritus. Cum igitur Zwinglii Spiritus non fuerit idem cum Spiritu Pontificum, quippe cum quo hostiliter confligit, patet sanè ejus Spiritum, impuritatis Spiritum esse non potuisse. Imò hoc ipso Zwinglius, aliique Reformatores nostri, se Spiritus Sancti ductum secutos esse manifestè probârunt, quòd fœdissimum cœlibatum cum honesto & modesto Deoque probatissimo matrimonio commutârunt. In Schola enim Spiritus Sancti instituti didicerunt, multa quidem cœlibatum continentem, qui nullis aculeis tentatur inhonestæ cupiditatis, supra matrimonium habere *πλεονεκτήματα*; sed non omnes sapere verbum hoc de non ducenda uxore, sed quibus datum est, Matth. XIX. 11. Matrimonii contra prohibitionem non Spiritus Sancti, sed Dæmoniorum doctrinam esse 1. Tim. V. 1. 2. 3. Proinde Zwinglius aliique Reformatores nostri, qui Ecclesiæ ministris matrimonium honestum restituerunt, Dei verbo ex Monachis & Monialibus impurum Spiritum expulerunt, ut Christi regula dæmoniorum doctrinæ prævaleret. In nunc, Redingi, & dic, spurios illos ex una peregrinatione Eremitana lucem salutantes, non religiosarum ad Divam vestram peregrinationum, sed spiritus Zwingliani in

civitate Tigurina tum prævalentis , foetus
fuisse.

XII. De adulteris & fornicatoribus illis,
quibus ex una peregrinatione Eremitana se-
ptem nati spurii, Dissertatio Synodalis indi-
gnabunda sceleri , dixit , perinde eos fecisse,
ac si non tam Divam virginem, quam more veterum
Babyloniorum , Milyttam venerem imploratuna
ivissent. Hæc mea verba per se plana pessi-
mum & blasphemum in sensum interpreta-
tur Sophista. *Quid ergo, inquit, Heideggerus*
intendit hoc scommate? An contendit Divam Vir-
ginem Milytte Veneri comparare? Sanè hanc blas-
phemiari crederem ipsos etiam Tigurinos igne vin-
dicaturos. Cum argumentis nihil contra me
efficere se posse intellexerit hic homo , credi-
dit se verbis meis nefandum in modum detor-
tis effecturum , ut suis hominibus credar in
ipsam B. Virginem blasphemias voces effuti-
visse. Qui sanè dolus ad eum successit felici-
ter , ut sacrificuli Pontificii passim pro sugge-
stis ausi sint declamare , Tigurinum illum Do-
ctorem eò impietatis processisse , ut B. Virgi-
nem Mariam magnam ; horreo scribere , quod
illi blasphemè commenti sunt ; meretricem
Babyloniam insigniverit. Quis hoc audito
non exarsisset non in Doctorem Tigurinum
duntaxat , sed in ipsam etiam civitatem , quæ
civem ad eum blasphemum non omni genere
suppliciorum executam fuerit ? Sed blasphemiam

miam illam, Redingi, crede non tantum Ti-
gurinos, quâ sunt in B. Virginem pietate, sed
Deum ipsum ultricibus inferni flammis expia-
turum fuisse. Cogita igitur, quid futurum
sit Jesuitæ vestro primicerio Cornelio à Lapi-
de, qui Comment. in Act. 9. Beatam virginem
Dianam Christianorum insignire non est veritus?
Quid iis, qui, teste Johanne Mennardo, Tu-
ronibus pinxerunt *Mariam omnium pulchritu-
dinum*, eò quòd ad formam elegantissimarum
puellarum Turonensium picta esset, eo mo-
do, quo Venerem aliquis veterum picturus,
virgines aspexit, ut quod in quacunque lau-
datissimum esset, picturâ redderet? Quid illis,
qui versus à profano Poëta in Venerem Cu-
pidinèmq; lufos, ad Mariam, & quem armo
tenet infantulum, accommodârunt:

Hunc ego sepe sua poscebam à matre puellum.

Ille sed à caro noluit ire sinu. &c.

Quid Johanni Baptistæ Poza, quem Alphon-
sus Vargas testatur in libro, cui nomen dedit
Elucidarii, non modò omnes illas laudes & forma-
dotes Dei genitrici vindicare, quas Poëta Veneri,
Circa, Medea, Helena, Phryma, Thaidi, quâsque
*Catullus Lesbia, Propertius Cynthia, Ovidius Co-
rinna*, alii aliis meretriculis impertiti sunt, perinde
ac si periculum sit, ne Hispani B. Virginem ament,
nisi eam quovis scortillo formosiorè credant. Quid
denique Bernardino de Bustis, qui non tan-

cum *Sermon. Marialis 2. part. Serm. 4. part. 2.*
 & 3. Beatam virginem comparat cum Poly-
 doro, Narcisso, Deiphobo, Paride, Helena,
 Didone, Lavinia, Cassandro, Creusa, Proser-
 pina, Lucretia, aliis: sed etiam *serm. 2. part. 2.*
 describit mirificam Veneris ad B. Virginem,
 cum in via esset è terris in Cœlum, & septem
 Planetas obvios haberet; orationem habi-
 tam? Eò impietatis per Dei gratiam nemo no-
 strum hætenus processit. Neque verba mea
 nisi propudiosus & improbus sophista eò tor-
 quebit. Aperta nimis sunt, utpote quæ bea-
 tam virginem & Milyttam Venerem Babylo-
 niorum verbis NON TAM tanquam opposi-
 ta dissimilia manifestè disparant & distin-
 guunt. Neque enim dixi, peregrinantes Ere-
 mum ivisse ad Venerem Milyttam Babylonio-
 rum: sed peregrinantes, non quosvis, sed a-
 dulteros & scortatores illos, de quibus locu-
 tus sum, perinde egisse, ac si non tam Divam
 virginem, quam more veterum Babylonio-
 rum, Milyttam venerem imploratum ivissent.
 Clarum igitur est, Beatam quidem virginem
 & Milyttam venerem distingui ut dissimilima,
 at adulteros illos ac scortatores cultum B.
 Virginis simulantes, & Babylonios veteres
 Milyttæ veneri litantes ut similia comparari,
 in hoc videlicet tertio, quòd utrique religio-
 sum cultum mentiti, pudicitiam alienam u-
 surariam habuerunt. Herodotus nempe l. i.

in Babyloniorum institutis inter alia reponit, quod puellæ ejus gentis in fano Veneris confideant, tempora corallis religatæ, usque dum advenarum quispiam pecuniam injecerit sinui, quod cum iis à fano abductis rem habeat. Eum qui pecuniam immitteret in sinum, his verbis uti ait : Ἐπικαλέω σοι τὴν θεὸν μύλιττα. *Invocho tibi Deam Milyttam.* Ac continuò subjungit : Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσυρίοι. *Venerem enim vocant Assyrii Mylittam.* Est nempe Mylitta idem quod מיליטא *nativitas, progenies, genitura,* Genes. XLVIII. 6. Ezech. XVI. 3. Et ab eo quidem ritu, quod Babylone in templo Veneris sic virgines operirentur suos amatores, evenit, ut templum hoc diceretur סכות בנות *Succoth benoth*, hoc est, tabernacula filiarum 2. Reg. XVII. 30. Faceffat igitur scelestæ vestra, Monachi & sacrificuli, calumnia. Non ego cum Milytta Venere comparavi vel Divam Virginem Mariam, gratiosissimam θεολογον, vel imaginem Divæ Virginis in Sacello Einsidlensi expositam, quæ qualis sit, iis sanè verbis non expressi : sed vobis primis blasphemia hæc in calamum venit, quæ ne in mentem quidem venire debuerat.

DISSER-

DISSERTATIO QUARTA.

Quâ fide historicâ certò non constare, apparitionem ejusmodi in Sacello Einsidlensi verè contigisse, asseritur.

BREVIARIUM.

Parallelismus Samaritanos inter & Reformatos obiectus retrahitur. 1. Primum contra historicam apparitionis argumentum petiitum à similibus Dedicacionibus fictitiis, vindicatur. Ecclesie perpetua de figmentis ejusmodi querela. 2. Secundum argumentum à silentio Ecclesiasticorum Scriptorum petiitum asseritur. Hermanni Contracti de ea consecratione testimonium disceptatur. Chronicorum fatum. 3. Conradi Episcopi & Leonis Papa documenta denuo ventilantur. Ante seculum XIV. nulla extant monumenta auctoritate, quibus apparitionis illius indubitata mentio fiat. 4. Objectio petita à silentio plurimarum rerum, quas in dubium vocare non licet, solvitur. 5. Nec non cavillatio de veterum circa originem Civitatis Tigurina silentio. Gretseri antiquitatem urbis nostra oppugnantis vanitas. 6. Tertium argumentum à silentio diplomatis Ottoniani petiitum defenditur. 8. Nec non quarum à traditionis varietate desumptum. 9. &c.

An in Bulla Leonis extet mentio Christi dedicantis? An sub Angelorum dedicantium mentione Christus intelligi possit? Quo sensu Act. VII. 53. lex data dicatur eis ἡγοραὶς ἀγγελῶν? 9. Dedicacionis Angelica denominatio adaequata, & inadequata examinatur. 10. Gloriatio de Bibliotheca Einsidlensis per vetustis manuscriptis rejicitur. 11.

I. **R** Edingius Dissertatione quinta integra conatur amoliri parallelismum Samaritanos inter & Pontificios. Primum enim telum istud in caput meum retorquere laborat, eò quòd Ecclesia Tigurina adoret quasi Deum & quasi Christum in Eucharistia cum fictione habitationis typicæ, cum tamen Christus ipse existentiam & præsentiam realem declaraverit verbo *Est, sum*. Unde deducit, nos adorare quod nescimus, imprimis cum Bullingerus & Calvinus affirmant, antiquos Patres rectè de Eucharistia sensitse, & Bellarminus probet, Patres semper veram & realem præsentiam agnovisse. Ipsos porro Pontificios quod attinet, eos tum in Eucharistia tum in Sacello Einsidlensi adorare quod sciunt, probare molitur ex eo, quod Sacellum Einsidlense Divinitus consecratum sit. Unde infert Christi Domini increpationem cadere non tam in Orthodoxos Eremitani Divinitus consecrati Sacelli cultores, quam

in eos, qui deserto hoc templo facti sint imitatores Samaritanorum. Sed hæc nos, utpote tum in vindiciis Reformatorum Theologorum, tum in Dissertationibus Domino Baldingero oppositis, tum in præcedentibus etiam solide discussa ad compendium hîc ponimus, & ad reliqua nos convertimus.

II. Historicam apparitionis & Dedicacionis Eremitanæ fidem concussi aliquot argumentis. Primum mihi inde petitum erat, quòd solenne fuerit sequioribus sæculis ad stabilendam invocationem Sanctorum, & implendam clericalis cupiditatis voraginem, ejusmodi Templorum & Sacellorum dedicaciones fingere. Exempla nonnulla produxi. Respondet Decanus, nihil hîc se reperire *nisi calumnias, magnamque presumptionem Spiritus*. Nam & invocationem Sanctorum stabilitam esse jam Hieronymi sæculo contra Vigilantium, & Dedicacionum Cœlestium ab me alatarum exempla nullo prorsus argumento à me refutari; quibus proinde sibi æquè liceat Divinam Sacelli Einsidensis consecrationem firmare, atq; olim Gabrieli Archangelo licuit conceptionis Christi in utero Virgineo fidem confirmare ab exemplo fœtus ab Elizabeth sterili concepti. Omitto plura, quibus id expressit, verba *dare pondus idonea vento*. De invocatione sanctorum, & Hieronymi contra Vigilantium telis diximus alibi. Exempla cœlestem

lestium dedicationum ab me allata cum sua se vanitate prodant, & iisdem ferè, quibus Sacelli vestri consecratio cœlestis, argumentis Theologicis confodiantur, non opus erat, ut refellenda ex professo susciperem. Tam prodigo temporis & bonarum horarum esse nec licuit tum, nec adhuc dum licet. Hoc unum dico, ejusmodi vana figmenta & falsa documenta, ut crebra fuerunt, ita nunquam non ecclesiæ suspecta fuisse. Hinc decretum illud Lugdunense cap. 62. *Pralati non permittant populum vanis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut OCCASIONE QUÆSTUS fieri cœpit.* Et longè ante in Concilio Carthaginiensi. V. Can. 14. ita sancitum: *Altaria, quæ per somnia & INANES REVELATIONES constituuntur, omnino reprobari videntur.* De eadem re videtis querelam Cassandri Doctoris Pontificii *Consult. de veneratione reliq.* Quod si igitur Adversarius ex Divina revelatione didicit, Dedications à me memoratas cœlestes esse, sicut ex Divina Revelatione Archangelus Gabriel didicit conceptionem Elizabethæ, non intercedam, quò minus Archangelum Gabrielem imitetur. Absque eo autem est, ipse *spiritus sui præsumptionem* manifestè prodit.

III. Secundum mihi argumentum vocatæ in dubium historiæ Dedicationis erat silentium Ecclesiasticorum de ea Scriptorum altissimum inde ab An. 948. usque ad seculum
 tiarius

decimum tertium, quo Martinus Pœnitentiarius vixit. Nam Hermanni Contracti, quod pro se allegant, testimonium sublestæ fidei esse, ostendi. Hic primò Redingius ostendere me jubet, *in aliqua Hermanni Contracti antiquiori editione, illa verba esse omissa*, pag. 56. Sed profectò confidentem te nimium geris, Decane. Tu ostendi mihi, si potes, vel certè bonâ fide indica unum Hermanni codicem impressum, in quo verba illa controversa: *Capella in Cœnobio S. Meynradi cœlitus consecrata est*, ad An. Chr. 948. extent. Etenim quatuor codices impressos diversæ editionis, quorum tres in mea bibliotheca extant, inspexi. In nullo horum omnium verba illa reperiuntur. Et ne quidquam caussari possis, ne quidem duo illi codices, quorum prior ex antiquo exemplari Cœnobii Sangallensis, posterior ex vetusto codice in Bibliotheca S. Georgii Herciniæ Sylvæ quondam reperto, transcriptus & typis editus est, verba illa à me in dubium vocata exhibent. Quid ergo? An oppones unum codicem apocryphum, quem fortè Bibliotheca vestra possidet? At unus ille codex, si tamen ostendi potest, tot impressis & antiquissimis codicibus præscribere mihi non potest. Interpolatus enim fuerit à Monacho aliquo, qui credidit dedicationem sacelli vestri incidisse in An. Chr. 948. adeoque ad illum annum annotandam esse. Etenim inter

eruditos planè constat, Monachos chronicon Contracti pluribus in usum privatum infarsis interpolasse. Patet ex maxima discrepantia inter exemplaria edita Anno 1613, Francofurti, & Anno 1618. Coloniae, nec non utriusque collatione cum Francofurtensi Anni 1585. Præterea Chronicorum & aliorum ejusdem ingenii librorum fatum hoc esse, ut novis, præter primam auctorum editionem, additionibus ab hominibus ineptis vel maleferiatis nullo sæpe judicio, mala semper fide locupletentur, nemo nisi in his rebus planè hospes ignorat. Exempla ab erudicis nostro & superiori seculo observata penè innumerabilia extant.

IV. Deinde Conradi Episcopi Constantiensis monumentum, & Imperatoris ac tot Principum Leoni Papæ, cum is narraret rem gestam, assidentium testimonium pomposè jactas. Utrique nervos incidimus in prima Dissertatione, ut & reliquis illis argumentorum lenociniis, quæ valde magnificè & per suaviludium p. 56. 57 58. declamas. Præterea coccyfmo tuo, quòd *Dialectica valde imperitium me prodam, dum ab auctoritate negativa coner argumentari*, responsum vide Dissertatione contra Baldingerum quinta, Sect. 11. Hoc unum addere non erit supervacaneum, quòd ii ipsi, qui de rebus Eremitanis agunt, ante seculum XIV. cœlestis hujus dedicationis ne

uno quidem apice meminerint. Tot extant
 Imperatorum diplomata, quæ cellæ Meynra-
 di *Deo consecrata*, at nusquam à Deo mentionem
 faciunt. Primus ferè Henricus Episcopus
 Constantiensis in Bulla An. 1363. edita me-
 minit Bullæ Leonis, quam Petrus de Wol-
 hufen Abbas Monasterii ab ipso *transsumi, co-
 piari, & exemplari, & sigilli ejus Episcopalis mu-
 nimine roborari*, uti Bullæ verba habent, petiit.
 Quin & Trithemius in Chronico Hirsaugien-
 si, prolixè de Monachis & Monasterio Eremi-
 tano agens, *Monasterium illud Solitariorum,*
 uti vocat, ait esse *bonæ opinionis, & ob regularem
 conversationis Monachorum inibi degentium præ-
 cæteris Sueviæ Monasteriis laudatum.* En quam
 & unde petitam prærogativam Abbas ille Mo-
 nasterio tribuit! Non utique cœlestem illam
 Dedicacionem, quam si jam tum successisse
 credidisset, utique nominasset, & ab ea po-
 tius quam *regula conversationis Monachorum in-
 ibi degentium*, utpote infinitis parasangis præ-
 stantiorè Monasterium commendasset. Præ-
 terea Wernerus Abbas, qui obiit An. 1210.
 suffragante collegio, leges Monachis tulit,
 quas in Annalibus Ereni Hartmannus pag.
 m. 229. 230. repræsentat. In iis determina-
 tur victus & amictus Monachorum, qui ob-
 tinere in primis festis & diebus solennioribus
 debeat. Quis non inter eas leges requireret
 præscriptam in solennitate *Angelica Dedicatio-*

is diætam ? At frustra requires. Ne umbra quidem apparet. Dic igitur, Redingi, an non argumentum meum ab autoritate negativa petatum validissimis præsumtionibus sit succinctum?

V. Parum autem feliciter procedis in eo, quòd argumentum meum à silentio continuo plus quàm trium seculorum elusus, objicis, multa apud eos, quos memoravi scriptores, Abbatem Urspergensem, Sigebertum, Marianum Scotum, Lambertum Schafnaburgensem aliosque non reperiri, ex quorum tamen silentio integrum non sit arguere, iccirco falsa esse, quæ in Archivis Principum & Ecclesiarum iisdem annis gesta reperiuntur. Etenim distinguere debebas inter res gestas ab hominibus & minoris momenti, vel certè particularem statum & ecclesiam concernentes, & inter res gestas ab ipso Christo, & tanti quidem momenti, ut religiosi cultus cujuspiam fundamentum existant, adeoque non particularem ecclesiam aliquam, sed propemodum universam concernant. Prioris generis res gestæ ex silentio scriptorum infirmari non possunt, in primis si evidentia & omni exceptione majora documenta in Archivis principum & ecclesiarum reperiuntur. Ubi valet etiam illud, quod *tit. de testibus lib. 4. codicis* habetur: *κατὰ ἐγγράφου μαρτυρίας ἀγέγρατον ἢ δεξιόθενται, adversus scriptum testimonium non scriptum non*

producatur. At posterioris generis rerum gestarum longè dispar ratio est. Cùm enim plurimum inter sit rem tantam in notitiam pervenire ecclesiæ, & fides, cui religiosus peregrinationum cultus innititur, ἀληθοφροσίαν exigat, sanè ii scriptores, qui & nôsse rem tantam poterant, & longè minora quædam persecuti sunt, & ecclesiarum dedicationes etiam humanas diligenter annotârunt, & visiones denique cœlestes ad superstitionem usque chartis suis illeverunt, momentosissimam hanc dedicationem, futuram basin religiosi cultus, vel unico saltem verbo attingere non omisissent. Deinde quid Otto Imperator Romæ moram agens post coronationem fecerit, præteritum ab Abbate Urspergense & Mariano Scoto: quid contigerit circa Ottonis II. coronationem, quod silentio involutum à Sigeberto Gemblacensi; hæc, inquam, ab aliis prodita sunt, ut silentium caussari non liceat. Meum igitur argumentum à silentio universali omnium per integra tria secula Ecclesiasticorum Scriptorum, etiam eorum, qui scire rem tantam poterant, qui longè minora gnavissimè persecuti sunt, validissimè stringit. Tuum verò à silentio particulari unius & alterius Scriptoris in rebus, quæ aliunde sciri possunt, & quas scire etiam parùm refert, nimium nimumque obtusum est, ut stringere neminem queat. Quodd verò de Ecclesiæ

clesiæ vestræ archivis mussitas, admitterem utcunque, si præter Conradi librum apocryphum & secretum, nec non bullam Leonis, alia notoriam antiquitatem redolentia producere posses. Quod cum hætenus non præstiteris, frustra ea appellitas.

VI. Sed admodum festivum tegeris, cum argumentari hunc in modum pergis: *Certe sexcentos, historicos numerare licebit, qui nullam prorsus de Tiguro faciunt mentionem, & qui ortum ejus describat cum certitudine nemo est. Anne igitur ab auctoritate negativa argumentando, licebit Tiguri originem ac universas Scripturas in hujus civitatis archivo asservatas vocare in dubium?* Et quid si nemo mortalium omnium in scripto Civitatis Tigurinæ meminisset? An iccirco eam vel non existere, vel initium omnino nullum habere sequeretur? Quid opus est vel scripto vel verbis, cum rerum argumenta adsint, mœnia, Tempia, curia, domus, homines, & quidem per Dei gratiam Orthodoxi, & ille ipse Doctor Tigurinus, qui argutiis tuis refellendis operam navat? Et civitatem eam etsi antiquissimam, originem cepisse, etiamsi id esset non tantum *ἀνεγκέλευτον*, sed etiam *ἀλέκτων* *indictum*, nemo tamen in dubium revocaret, nisi fortè is, qui cum Jesuitis vestris possibilem mundi æternitatem, absurdissimum placitum propugnare animum induxerit. Non ignoro equidem Lojolitam

Gretserum, soliginis succo turgentem, in *admonitione sua ad Exteros* civitatis nostræ antiquitatem fugillare conatum esse. Sed in pro-
 patulo sunt vindiciæ à nostratibus scriptæ, quibus hominis importunitas repressa. Tu ve-
 rò, Redingi, defines impofterum, à rebus per-
 manentibus, qualis est civitas nostra, quæ se
 & existerè, & existerè cœpisse, solâ suâ exi-
 stentiâ, probat, etiam si nemo scriptorum o-
 mnium ejus mentionem faceret, argumen-
 tum necere ad res transeuntes, qualis est ve-
 stra, de qua controvertimus, dedicatio, quæ
 cum existentiam permanentem non habeat,
 eam, si qua olim fuit, evidentibus documentis
 demonstrare convenit.

VII. Quæ ad argumentum Baronii à me
 usurpatum respondes, conveniunt cum iis,
 quæ ante te à Baldingero mihi responsa. Pro-
 inde jure te remitto ad Dissertationem quin-
 tam, eidem oppositam, sect. 9.10.

VIII. Tertio argumento meo, à silentio
 Diplomatis Ottonianni petito respondes non
 minus frivole, nimirum diploma illud fuisse
 confirmatorium immunitatis & autoritatis
 privilegii ab ipsomet Ottone I. Thietlando II.
 Abbati concessi An. 961. antequam conse-
 cratio illa Divina fuerit dicto modo stabilita.
 Proinde Diploma illud An. 965. emanatum
 mutatis duntaxat Abbatum nominibus, juxta
 Can-

Cancellariæ Imperatoriæ stylum iisdem verbis fuisse conceptum ac prius, ut opus non fuerit miraculi quippe nondum stabiliti mentionem fieri. Scio equidem, diploma, quod emanavit (ita dixisses potius quàm *emanatum*, in Priscianum injurius) Anno 965. confirmatorium fuisse prioris, quod quatuor ante annos editum fuerat. Sed Diploma saltem prius cur visionis & miraculi mentionem ne minimam quidem fecit? Nondum stabilitam fuisse tunc consecrationem prætexis. At sufficere poterat, visionem tredecim ante annos obtigisse, uti quidem contenditis, &, si obtigit, haud dubiè non à Conrado duntaxat, sed ab universo populo, à quo vocem Cœlestem auditam dicitis, propalatam esse. Nam per tredecim illos annos sacello illo, non obstante approbationis defectu, haud dubiè pro divinitus consecrato habitum & ut tale frequentatum fuisset. Deinde cùm inter bullam Leonis & Diploma confirmatorium Ottonis, duo duntaxat menses intercesserint, cui dubium esse potest, quin Imperator pro sua pietate decreturus fuerit, ut non tantum novum diploma prioris confirmatorium scriberetur, sed eidem etiam mentio miraculi maximi, cui paulò ante à Conrado narrato, & à Leone stabilito ipse præsens Romæ fuisse perhibetur, insereretur?

IX. Quartò denique ipsa traditionis circa

Divinam illam consecrationem varietas con-
 jecturam falsitatis suppeditavit. Primo enim
 Conradus Episcopus meminit & Christi & an-
 gelorum sacellum dedicantium: at bulla Leo-
 nis Angelorum duntaxat. At Bullam non
 Angelorum duntaxat, sed etiam Christi
 ipsius meminisse, pertendit Adversarius, a-
 deoque me apertæ falsitatis arguit. Quo ve-
 rò argumento? Nempe, quia bulla meminit
 vocis à Populo auditæ: *Cessa frater, divinitus
 consecrata est Capella.* At quod *divinitus* fit, ea-
 tenus esse ex Deo subsumit, ut hoc non ordina-
 rio duntaxat concursu, sed modo extraordinario,
 tanquam causa saltem principalis mysterium ejus-
 modi perficiat, licet angelis subinde, aliisque caus-
 sis secundis simul utatur tanquam causis ministeria-
 libus & instrumentariis, pag. 69. Eadem solutio-
 ne diluere conatur alteram meam rationem
 inde petitam, quòd antiquo more consecra-
 tio illa veniat nomine *Angelice Dicationis*;
 unde factum, ut ipse etiam Raderus in vita
 Conradi consecrationem hanc cupro & cala-
 mo expresserit, quasi ab Angelo peracta esset.
 Ait enim, *Divinam* rectè vocari ex respectu ad
 Christum, consecrationis illius causam prin-
 cipalem: at *angelicam* ex respectu ad causas mi-
 nisteriales, Angelos. Quomodo lex Mosis
 Angelica vocari possit, quia Act. VII. 53. dici-
 tur *accepta* in dispositiones Angelorum, & *Di-
 vina* ex comparatione ad authorem suum
 princi-

principalem Deum. Sed κρησφύγετα mera affers, Decane. Primum enim ex eo, quod Bulla recitat Oraculum, quo capella *Divinitus* consecrata dicitur, argumentum necessarium peti non potest, Christum ipsum in bulla insinuari causam principalem dedicationis. Nam etiam illud, quod Divi faciunt, Divinitus fieri dici potest. At Angeli Divi etiam vobis nuncupantur. Et quam quæso ob causam vel Conradus coram Pontifice non aliud testatus est, quam quod *veraciter comprehenderit talem tantum & talem ordinem Angelos tunc habuisse in illius Capella, pro qua ipse venerat, consecratione, qualem adhuc Episcopi habere solent in Ecclesiarum dedicatione; vel Leo Papa, si Christum ipsum fuisse authorem Dedicationis Conradus testificatus est, non hoc ipsum inseruit Bullæ? Etenim etiam apud vos non aliud esse ratum potest, quam quod in bulla confirmatoria expressum est. At Christum esse authorem dedicationis, in ea expressum non est. Deinde legis Mosaicæ exemplum est ἀπερὶ δόουσον. Dicitur equidem ea ἔτα εἰς ἀγγελῶν ἀγγελῶν in dispositiones Angelorum. Nempe Deus legem laturus illuxit e monte Paran & venit cum myriadibus sanctitatis Deut. XXXIII. 2. Præsentes fuerunt Angeli, & testes, & ita quidem, ut introducerentur eo ipso in suam quasi provinciam, curandi, ut ea lex fieret ab Israelitis, & parerent Mosi atque Aharoni, &*

coëteris sociis eorum ac successoribus in Cathedra sedentibus, uti colligitur ex Hebr. II. 5.7.16. Nuspiam tamen sive ob hanc præsentiam Angelorum tanquam testium, sive ob impositum exequendi ministerium lex dicitur vel Angelorum vel Angelica, sed semper vel lex Moïsis, à Moïse internuntio, vel Divina ab authore. Neque magis dedicatio vestra *Angelica* dici potest, quia Christo dedicante & consecrante facellum cecinerint Angeli, quàm fundatio terræ dici potest Angelica, quia cùm Deus bases terræ defigeret, & lapidem ejus angularem jaceret, filii ejus, hoc est, Angeli jubilâsse & cecinisse dicuntur Prov. XXXVIII.6.7. Denique ipse Tu, ne varietatem hujus traditionis agnoscere cogaris, eò delaberis, ut dicas pag.77. Conradum coram sancto Consistorio in narratione privatæ suæ visionis *confusè* processisse. Quasi verò decuerit coram Pontifice & toto illo sancto Consistorio, & quidem cùm de confirmatione dedicationis ageretur, *confusè* procedere.

X. Inò parum Te tibi constare, vel certè præcedenti tuæ responsioni minùs confidere, prodis, cùm distinctionum latebris Te involvis. Dicis enim, *Angdicam* dici posse dedicationem ex denominatione non tantùm *inadequata*, respectu nimirum habito ad causas ministeriales Angelos, sed etiam *adequata*, ex universo nimirum, tam principalis, quàm

quàm ministerialium dedicationi illi coope-
rantium caussarum genere, eò quòd & Chri-
stus Dedicationis author, & Angeli, & Sacer-
dotes, quales fuerint Dedicationi inservien-
tes summi Pontifices, Petrus & Gregorius,
Sancti Episcopi & Evangelistæ, Ecclesiæque
Doctores, Johannes Matthæus, Lucas, Mar-
cus, Ambrosius, Augustinus, Laurentius ac
Stephanus, omnes inquam illi Angelorum
nomine venire possint non minus quàm Chri-
stus legem ferens, & sacerdotes legem popu-
lo promulgantes juxta Chrysostrum Ange-
lorum in sacris nominibus veniant. Quæ tua
Φλαραλογήματα nullo ferè negotio discuti
possunt. Etenim primò si Angelica dicitur
Dedicatio vestra ex denominatione *inadequa-
ta*, cur respectu habito ad Christum, Pontifi-
ces, Evangelistas ac Doctores, adeoque ex
denominatione *adequata*? Si posterius cur
prius? Deinde Chrysostrum Gal. III. 19. per
Angelos non simpliciter sacerdotes intelligit,
sed alternativè ἢ τοὺς ἱερέας, ἢ καὶ αὐτοὺς ἀγ-
γέλους, aut sacerdotes, aut ipsos etiam Angelos cœle-
stes, uti verba ejus sonant. Malim tamen se-
qui interpretes Theodoretum, Hieronymum
& Augustinum, qui cœlestes Angelos potiùs,
quàm sacerdotes intelligunt. Non est enim
sine ratione urgente discedendum à proprie-
tate literæ. Et locus Deut. XXXIII. 2. Apo-
stoli sensum satis declarat. Interim fateor e-

tiam ministros & doctores Ecclesiæ rectè Angelos vocari, præeunte Scripturâ Hagg. I. 13. Malach. II. 7. 13. Eccles. V. 5. Apocal. II. III. Tertio sicut lex nunquam *Angelica* dicitur, etiamsi & à magni consilii Angelo & ministrantibus Angelis lata sit: ita nec dedicatio vestra nisi valde ἀγγελόγως dici *Angelica* posset, si maximè eo pertenditis, quo modo successisset. Quarto Christus nusquam simpliciter vocatur Angelus, sed vel magni consilii, fœderis Angelus, vel cum aliis epithetis. Quinto probabile non est, eos qui huic dedicationi nomen imposuerunt Engelweih/ talem denominationem, sive *adequatam* sive *inadequatam* habuisse in animo, utpote obscuram utramque & in vulgus parum notam. Neque enim vulgato sermone Christum vocamus Angelum, cum tot illustria & clariora epitheta suppetant. Sexto denique Bulla Leonis Angelos comparat cum Episcopis dedicantibus. At si in Angelorum ordine continetur etiam Christus, utique solus ille cum Episcopo, reliqui cum iis qui Episcopo famulantur, comparari debuerunt. Ubi operam ludit Adversarius, declinaturus hunc ictum eo argumento, quod bulla comparet quidem Angelos cum Episcopis dedicantibus, sed non, ut illis tribuat principale consecrationis munus, sed ministeriale duntaxat *canus & ordinis officium*. Atqui in ministeriali canus & ordinis

nis officio Angeli cum Episcopis comparari non potuerunt, cum Episcoporum sit dedicare, non canendo aliaque munia ὑπηρετικὰ ob- eundo famulari.

XI. Ad extremum mihi insultabundus ita quæris: *Si tam validum illius historia expugnatorem se putavit, cur argumenta non discussit, quæ Augustinus Reding in Discursu 2. Theologico de Sacello Einsidlensi tum ex Bibliotheca Einsidlensis perveitistis MSis, tum ex sepringentorum annorum peregrinationibus & à Deo frequentibus miraculis firmata traditione, vel obiter tantum deduxit?* pag. 80. Paucis respondeo, non tantum me à superioribus & utilioribus studiis nactum esse laxamenti, nec bonas horas ita comburere voluisse, ut quicquid tu chartis intrivisti, id ego omne mihi exedendum vel extricandum putarem. Satius duxi succinctiori operâ nidum ipsum excutere, quam perdicem in montibus & sylvis ingentibus ambagibus persequi. Quin & hac vice me in arenam haud quaquam protraxeras, nisi timendum mihi fuisset, ne silentium meum in consensum, modestiam in conscientiam duceres. Manuscripta verò Bibliothecæ vestræ frustra jactas. Non aliorum enim edis indicium, quam Conradi libri secreti, Bullæ Leonis & aliquot Pontificum, tribus integris seculis Leone posteriorum. De Conradi libro, ut & Bulla Leonis actum nobis dissertatione prima, & de

hac

hac etiam in Synodali Dissertatione. Sequentium verò Pontificum Bullarum cum nitantur, unius Leonis Bulla, utique hac cadente & ipsa ruunt. Non posse enim plus esse fidei in transsumto, quàm originali, rectissime Jurisconsulti pronunciant. De septingentis annis, quibus peregrinationem vestram frequentatam ais, alibi à nobis actum.

DISSERTATIO QUINTA.

Qua argumenta Adversarii, quibus apparitionem Divinam fuisse, demonstrare laborat, examinantur.

BREVIARIUM.

Redingii convitia in Zvinglium Lutherum & Calvinum. 1. Eiusdem ratio discernendi Spiritus examinatur. 2. Vera ratio spiritus explorandi indagatur. Duplex gnorisma Divina visionis & oraculi. Qualem professionem Christi venientis in carne Iohannes 1. epist. cap IV. 1-3. innuat? 3. Effectus apparitionis in Sacello, quibus eam Divinum fuisse demonstrat, expenduntur. 4-f. Sacrificium missaticum, Sacramentalem confessionem, Monastica vota, Sanctorum invocationem, suffragia pro defunctis, quibus in Sacello Einsidlensi frequentatis Divinum apparitionis

ritionis originem probare conatur Adversarius, cum verbi De regula, nec non professione Christi venientis in carne, pugnare ostenditur. 5—10. Papa potestas, & infallibilitas refellitur. 10.

I. **D**iffertationem octavam Redingius inauspicatè arditur à convitiis in Zwinglium, Calvinum & Lutherum, beatæ memoriæ heroes, quibus discretionem spirituum difficilem fuisse probare conatur, objecta iis cum dæmone familiaritate. Sed poppysmum hunc cum in vindiciis Theologorum Reformatorum obtuderimus, hac vice intactum omitemus, & quàm bellè ipse didicerit spiritus ac imprimis eos, qui Conrado in Sacello apparuerunt, discernere, dispiciemus.

II. Præcipuam igitur spiritus, eorùmque apparitiones discernendi rationem desumit Adversarius Patres, uti præfert, secutus ab effectibus, *an verum Dei cultum promoveant, sintque radicati in vera Orthodoxa fidei doctrina,* pag. 89. Astute admodum & subdolè. Quid enim per *verum cultum, Orthodoxam fidem* intelligis? Novimus enim, jam pridem res vera sua nomina amisisse, uti jam olim conquestus Sallustius. Tibi igitur verus cultus, Orthodoxa fides est cultus & fides Papistica, is cultus, ea fides, cujus ultima analysis est in Papam, uti ex iis, quæ subjungis, capitibus, puta
Sacri-

Sacrificio missatico, Sacramentali confessione, Sanctorum invocatione ibidem frequentata, nec non aucto Monachorum numero, accedente Pontificia approbatione & miraculorum suffragiis, manifestissimum evadit. Sic igitur quilibet spiritus, cujus revelatio inservit cultui & fidei, quam præscribere lubuit Papæ, agnosci debet spiritus Dei. Sic uno ictu nos confossi concidimus. Nec compendioliùs mecum transigere potuisses. Sed ignosce, Decane, si hanc tuam probandorum Spirituum regulam dixero esse Lesbiam, fallacem & lubricam, quippe qua ne unus quidem spiritus rite explorari queat. Si enim tibi licet probare spiritus eo indicio, quod profint cultui & fidei vestræ Pontificiæ, non probata interim, imò maximè controversa cultus & fidei vestræ veritate: quidni etiam gentilibus olim id facere licuit? Sic igitur Demetrius Ephesinæ Dianæ promachus, simulachrum illud è Cælo delapsum esse probaret simili argumento, ab effectibus ejus petito, utpote quod verum Deorum, quos profitebatur, cultum & suæ, quam Orthodoxam etiam haberi velut, fidei doctrinam promoveat. Quod ipsum forte argumentis æquè speciosis probatum dedisset. Nam & sacrificiorum ac lustrationum cultum & Flaminum ac Vestalium magnam in speciem religionem ac pietatem, & Divorum maxumorum, medio:

xumorum, infimorum, quin & defunctorum
 manium adorationem, & Pontificum ac hie-
 rophantarum Dianæ suæ abblandientium au-
 thoritatem, & prodigiorum ac miraculorum
 mangonium; aliæque ejusmodi plurimâ de-
 monstrandæ cœlesti simulachri ejus originæ
 argumenta in medium protulisset. Neque fu-
 cus antiquitatis forte defuisset. Pindarus e-
 nim Templum illud magnæ Dianæ ab Ama-
 zonibus erectum esse putavit. Eum redar-
 guit Pausanias, antiquius esse dictitans. Quid
 verò hîc, Redingi, responderes? Nempe hæc
 omnia argumenta non veri cultûs, non ortho-
 doxæ fidei, sed potius gentilitiæ superstitionis
 & idololatriæ indicia præbere, ac proinde
 iis visionem simulachri cœlitus decidentis
 non roborari. Eodem modo respondeo, argu-
 menta illa à sacrificio Missatico, Sacramenta-
 li confessione, Religiosorum vota monasticâ
 profitentium numero, sanctorum invocatio-
 ne, Pontificia approbatione, miraculorum
 suffragiis petita, non veri cultûs, non ortho-
 doxæ fidei, sed potius novitiæ superstitionis
 & contaminatæ fidei indicia præbere; adeo-
 que iis Spirituum apparentium imposturam
 potius prædi, quàm sinceritatem commenda-
 ri. Et sanè pessimam causam manifestè nobis
 prædis, cum ad visionis Divinitatem proban-
 dam non alia argumenta producis, quàm quæ
 non minori, quàm ipsa visio, controversiâ &

T

suspicio.

suspensione laborant, adeoque litem lite turpiter resolvunt.

III. Probandos esse spiritus, an ex Deo sint, liquet ex Apostolico præcepto 1. Joh. IV. 1. 2. *Dilecti, ne cuiuslibet spiritus credite, sed explorate spiritus, an ex Deo sint, quoniam multi Pseudo prophetae exiverunt in mundum.* Et 1. Thess. V. 21. *Omnia probate, quod bonum est, retinete.* Ad explorationem porro opus est certâ & minimè fallaci regula. Hæc regula non est doctrina fidei & cultus, quem hæc vel illa ecclesia proficitur, quia hac ratione qualibet visio absolvi posset; sed verbi Divini eminentissima auctoritas, ita ut ex Deo non esse statuamus eum spiritum, quid id revelat, quod verbo Dei consentaneum non est, vel ex cujus revelatione id consequitur, quod Canonice verbi Divini veritati repugnat. Ita Berrhoenses Spiritum Pauli explorantes verba ejus cum Scripturis contendebant Act. XVII. Hinc aded Johannes jubens explorare spiritus, eum esse spiritum veritatis docet, qui audit Apostolos, hoc est, qui Apostolicæ doctrinæ consentanea loquitur 1. Joh. IV. 1. 6. In visionibus extraordinariis hætenus sanè infallibilis est ea exploratio, ut ex Deo non esse statuatur spiritus, qui ad Lydium Scripturæ lapidem non examissim congruit. Non tamen vicissim ex Deo esse spiritum fortè apparentem & scripturis consentanea loquentem, consequitur. Fieri enim potest,

potest, ut recta & vera pronunciet, sed non rectum in finem. Unde secundaria & succenturiata quædam subsidia ad plenam Divinæ apparitionis faciendam fidem, signa nimirum tum necessaria tum probabilia, nec non discretionis spiritus præterea requiruntur. De quo videsis eruditam viri Doctissimi Gisberti Voëtii dissertationem de *probatione spirituum*, Disput. Theolog. par. 11. pag. 1100. Sed ad concutiendam apparitionis alicujus fidem abundè sufficit, si stabilire videatur ea, quæ cum fide scripturarum non consentiunt. Præterea Johannes deceptoris spiritus speciale quoddam criterion ostendit, si nimirum non confiteatur Jesum Christum *ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα*, *Jesum Christum in carne venientem*. 1. Joh. IV. 13. Quem spiritum Antichristi esse asserit. Et cap. II. 18. 22. mendacis spiritûs signum statuitur, si neget Jesum esse Christum. Quibus verbis intelligit Apostolus non eam vel professionem vel negationem, quæ fit ore & totidem syllabis ac expressis verbis, sed quæ fit corde & opere. Etenim si per eum, qui non confitetur Jesum esse Christum, vel in carne venisse, non alii intelligi deberent, quàm qui ore & *διὰ ῥήθη* negant Christi *ἐπιστρέφουσιν*, tum vicissim sequeretur, eum spiritum omnem, qui Christi incarnationem profitetur, ore tenus esse ex Deo. Id autem absurdum esse nemo non videt. Is enim spiritus ex Deo est, qui

non tantum ore tenus profitetur, Christum in carne venisse, sed etiam tum corde id credit, tum opere talem se gerit, ut confessam eam veritatem contrariam doctrinam non labefactet. Proinde etiam is ex Deo non est, qui si ve ore tenus, si ve corde & opere negat, Jesum esse Christum, adeoque in carne non venisse. Perspicuum autem est, eum spiritum qui id loquitur, quod vel personam Christi, vel officium ejus mediatorium, si ve Propheticum, si ve Sacerdotale, si ve Regium quocumque modo infringit, si non ore tenus, at certe ipso opere negare, Jesum esse Christum, adeoque in carne non venisse, quia ejus veritatis, quam ore profitetur, *divinam*, valorem seu potentiam alia ratione abnegat. Ad utrumque hoc gnorisma ubi examinaverimus eos, quos apparitioni huic tribuis effectus, luce meridianam clarius liquebit, fuerintne spiritus, qui ibi apparuisse dicuntur, ex Deo nec ne.

IV. Etenim Missaticum Sacrificium, Sacramentalis confessio, sanctorum invocatio, preces pro defunctis; Monastica vota, Papae jus & potestas in authentiam visionibus donanda, miraculorum suffragia ejusmodi omnia sunt, ut verbi Divini autoritate & testimonio non penitus tantum destituantur, sed etiam cum eo disertè pugnent. Et destitui Divini verbi testimonio ipse Adversarius non obscure

obscurè insinuat, cùm præcipua ea Papatus dogmata nullo planè scripturarum testimonio suffulcit, sed Patrum tantum & Reformatorum quorundam Doctorem locis jejune, ne fraus pelluceret, citatis statuminat. Perinde ac si Patrum & Reformatorum Doctorem non tam assertiones, quàm sententiæ obliquo collo raptæ & per fraudem illis auctoribus adscriptæ, fidei regula & norma unica esse debeant. Cœterum quo jure Patres & Reformatos quosdam Doctores ad patrocinium suum trahat Adversarius, in vindiciis Theologorum nostrorum ostendimus. Hac vice paucis demonstrabimus, omnes illos, quos apparitioni huic tribuit Adversarius effectus, non tantum esse ἀντιρρήτους, sed etiam in Christum ejusque meritum injurios.

V. Primò igitur præcipuum fructum cœlestis sacelli vestri consecrationis ais esse *Missa sacrificium imbi frequentatum*. At missaticum vestrum sacrificium ejusmodi est, ut institutionem Salvatoris, & Apostolorum praxin pervertat, ne quid pejus dicam. Etenim Christus in Cœnæ institutione non se ipsum sacrificabat, sed panem & vinum sanctificabat. Non Deo Patri suo hostiam realem offerebat, sed panem & vinum discipulis distuebatur, eaque ut acciperent, ederent, biberent, non ut adorarent, circumgestarent, immolarent, præcipiebat. Nec Apostoli aliud tradiderunt, quàm
T ; illud

illud quod à Domino acceperunt, 1. Cor. XI. 23. Deinde Christus unica oblatione in cruce consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur Hebr. X. 14. Ipse æternus Sacerdos est, non admittens vel *successorem* Hebr. VII. 24. vel sacrificii sui *repetitionem*, quippe quæ illud imperfectionis argueret, cap. IX. 25. Cùmque se ipso in sacrificium oblato peccatorum remissionem nobis impetra verit plenissimam, patet non amplius oblationi locum esse. Ubi enim à Deo remissio peccatorum, ibi *μεροφωρε* *ἡ ἐπιμαρτυρία* oblatio pro peccatis, puta expiatoria, adeoque sacrificium Missaticum reale & propitiatorium amplius locum non habet, cap. X. 18. Sacrificium enim tale exigit effusionem sanguinis, sine qua nulla est remissio cap. IX. 22. Unde sequitur vel in Missa vestra vos effundere sanguinem Christi, quod cogitatu tremendum; vel Missam vestram propriè nuncupatum sacrificium non esse. Et si, quod res est, profari licet, Missaticum choragium vestrum totum ad dignitatem & commodum Presbyterorum Romanique Cleri est comparatum: quippe quibus in ipsum Christum potestas tribuitur. Verba hæc sunt Gabrielis Bielii Lect. II. in Canonem Missæ: *Non voluit Dominus aliquem habere potestatem ligandi & solvendi super corpus Christi Mysticum (id est Ecclesiam) nisi haberet potesta-*

sem super corpus Christi verum. Cùm igitur Sacrificium Missaticum, apparitionis hujus fructus, institutionem Christi & praxin Apostolorum subvertat, æternum Christi sacrificium, ejusque dignitatem & perfectionem infringat, Christum sacrificulorum potestati subjiciat, patet luculentissimè, spiritus hujus fructus nec verbo Dei consentanei, nec cum ea confessione, quòd Jesus sit Christus in carne veniens, stantis, authores non fuisse ex Deo.

VI. Secundo ais, *in loco illo sacro à fidelibus frequentari sacram communionem, præmissà Sacramentali confessione.* De communionem quæ à vestris Eremitis frequentatur, hoc unum dico, talem eam esse, quale est ipsum sacrificium Missaticum. Et in ea præterea non tantum Theatricæ actionis aspectui tribui, quod Christus & Apostoli benedictorum symbolum fructioni tribuit, sed etiam populum extrema tum in Christum tum in ipsum injuria, benedicti calicis usu defraudari. At Sacramentalis confessio, quâ communicantes vestri sive advenæ sive inquilini genu flectunt coram sacerdote sedente, non tantum ut gratiæ præcone, sed etiam ut giudice, potestatem habente juridicam remittendi peccata, & cruce se signantes in ejus aures pronunciant verba, qualia apud Navarrum, Gregorium de Valentia, alios extant: *Confiteor Deo omnipotenti & Beata Maria semper virgini, sanctis Aposto-*

in Petro & Paulo, & omnibus sanctis curia cœle-
stis, & ubi Pater, quia nimis peccavi &c. hæc,
 inquam, confessio & scripturæ repugnat, &
 in Christi meritum injuria est vel hoc solo no-
 mine, quod remissio peccatorum, quæ à sola
 Dei gratia & arbitrio pendet, imploratur ab
 hominibus, tanquam veris peccatorum judi-
 cibus. Ne dicam, in ea esse conspicuam con-
 scientiarum carnificinam, & μελέτην ἀνομιῶν
πᾶς à Paulo damnatam 2. Tim. III. 6. 7. vincu-
 lum regni papalis, & aureum hamum Sacer-
 dotum, uti alibi prolixè ostendimus. Cry-
 psin totius rei revelat nobis Navarrus Ma-
 nual. 10. §. 8. *Rarò confessarius peccat, nisi ob*
principaliter acceptum officium audiendi confessio-
nes ob lucrum aut favorem aut curiositatem & car-
nales voluptates. Si tamen minus principaliter
hæc quarat, non peccaret. Sed quid ad Confessa-
 rium, quo titulo & distinctionis tmemate,
 puta *principaliter* an *minus principaliter* cupita
 obtineat, dum tandem obtineat? Cùm igitur
 confessio secreta & verbo Dei repugnet, & in
 Christi potestatem ac meritum incurrat, pa-
 tet rursus, spiritum foetus hujus matrem ex
 Deo non esse.

VII. Tertio à Sacelli Einsidensis Divinitus
 consecrati tempore crevisse & hactenus conserva-
 tum fuisse numerum Religiosorum vota Monastica
 proficientium asseris. Frustra asseris. Hoc ipsum
 enim probat, spiritum, qui hunc fructum nec
 scriptu-

scripturæ conformem, & Christi merito derogantem, protrusit, ex Deo non esse. Etenim Monachatus vester non tantum in verbo Dei præceptus vel commendatus ecclesiæ non est, sed contra illud etiam militat. Irritum enim facit mandatum Dei de honorandis parentibus & adjuvandis, cum ingressi religionem eximantur ab obsequio parentum, quod ipsum in Pharisæis damnavit Christus, Matth. XV. 4. Marc. VII. 10. Privat homines primæva benedictione Genes. I. 28. & contradicit creatoris sententiæ: *Non est bonum hominem esse solum*, Genes. II. 18. Non permittit, ut erga proximum exercentur hospitalitas, aliæque virtutes homeleticæ, præsertim si in anachorismum aut Eremitismum deflectat. Vota ipsa paupertatis, obedientiæ & perpetui cœlibatus verbo Dei inprimis adversantur, quippe quod vetat esse mendicum in Israele, & emtos pretio fieri servos hominum, 1. Cor VII. 23. & jubet capere, qui capere potest, Matth. XIX. 13. Denique superarrogans supererogationis commentum consiliis nititur fictitiis, & meritorum humanorum dignitatem extollens, Christi ipsius meritum deprimit.

VIII. Quarto jactas, *inde à tempore consecrationis in Sacello Einsidlenfi vel maxime frequentatam esse, Sanctorum, Beatissima præsertim virginis adorationem.* At verbum Dei clamat sono-

râ voce: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias*, Matth IV. 10. Adoratio verò sanctorum nullo vel mandato, vel exemplo, vel promisso sustulsa est. *Edificârunt Excelsa Baalim*, ita queritur Deus, *que ego non precepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum*, Jerem. XIX. 5. Vetat Apostolus, *ne quisquam aduersus nos rectoris partes sibi sumat in humilitate, & religioso cultu Angelorum, gradum inferens in ea qua non vidit, & tenerrè turgens carnis sue intelligentiâ*, Colofs II. 18. Sed & Christus constitutus est à Patre *unicus mediator noster* 1. Tim. II. 1. in quo solo *habemus accessum & fiduciam in confidentia per fidem eius* Ephes. III. 12. Quid quòd sancti, cum *καὶ ἀγγέλων* non sint, cogitationes hominum ignorant? Quòd uni loco præsentibus tot supplicantium precibus interesse non possunt? Quòd de voluntate eorum parùm constat, an cupiant potius nobis, quàm Deus succurrere? Infinita ejusmodi taceo.

IX. Quintò in illo *Divinitus consecrato Sacello frequentari suffragia pro defunctis, seu animabus in purgatorio detentis, gloriare*. At nec hæc tua gloriatio laudem meretur, vel spiritum foetus illius parentem ex Deo esse demonstrat. Nam preces ejusmodi mandato Divino nullo subnituntur. Defuncti vel sunt beati in cœlo, vel miseri in inferno. Neutri precibus vestris indigent. Inmutabilis est eorum status, ut arboris

arboris cadentis ad austrum, vel aquilonem, Eccles. XI. 3. Purgatorium nullum scripturæ agnoscunt, quæ decent, sanguinem Jesu Christi nos purgare ab omni peccato 1. Joh. I. 7. utpote quem solum Deus proposuit *ἱλαστικόν* placamentum per fidem in sanguinem ipsius, Rom. III. 25. Cui quidem plenissimæ propitiæ, ni & satisfactioni ficticia hæc expiatio plurimum detrahit.

X. Sextò approbatam esse Divinam Sacelli vestri consecrationem à Leone VIII. aliisque summis Pontificibus arguis. Sed quid tum postea, si eam potestatem propemodum infinitam, quam Papæ tribuitis, redarguit Scriptura ipsa, vetans dominari & ἐξουσιάζειν Matth. XX. 26. Luc. XXII. 26. &c? Si inter ordines ecclesiasticos Papam Oecumenicum Episcopum nullum recenset Apostolus 1. Cor. XII. 28. Ephes. IV. 11? Si Petrus ipse se vocavit *συμπρεσβύτερον*, & dominari in Clerum, ac ἀρχαίῳ Ἰησοῦ πειν prorsus interdixit 1. Pet. IV. 15. v. 1. 3? Si Christum solum Monarcham, caput, sponsum Ecclesiæ Catholicæ agnoscit scriptura, cui is profitetur, se semper ad futurum usque ad consummationem seculi Matth. XVIII. 19. XV VIII. 20? Si denique nulli homini, adeoque nec Papæ etiam, promissum esse spiritum infallibilitatis probari potest?

XI. Quæ de miraculis subjungis, alibi à nobis discussa sunt. Tu igitur, Redingi, vides

tua

tua te vineta cædere, & unde præsidium tibi pollicitus es, ruinam tibi accelerâsse. Neque omnino evitare potes, quin omnes boni & prudentes caussam tuam pro conclamata habeant, quam tam futilibus argumentis, & quæ plus dubitationis, quàm ipsam, quæ controvertitur, thesin habere minime ignorabas, incrustare potius, quàm corroborare instituisti.

DISSERTATIO SEXTA.

Quâ quæstiones Scholasticæ de motivo, objecto & certitudine fidei ventilantur.

BREVIARIUM.

Adversarii me ad certamen Scholastico-Theologicum provocantis importunitas. 1. An cum Dei revelantis evidentiâ stare possit actus fidei? De eo Scholasticorum opiniones recensentur. 2. Quo sensu Paulus dicat, fidem esse eorum quæ non videntur Hebr. XI. 1. ? Cur fides in futuro seculo abolenda dicatur? 3. Evidentiâ externa & interna distinguitur, & illam cum fide consistere posse demonstratur. 4. Sicutura in diversas Scholasticorum de proposita quæstione opiniones. An Angeli viatores adhuc actibus fidei meruerint? 5. Corollaria duo ex superiori quæstione nectuntur, quorum priori ex concessis testimonium Spiritus

ius S. internum in probanda Scriptura Divinitate; posteriori vero notarum Divinitatis scriptura auctoritas defenditur. 6. An revelatio Divina privatim proposita possit esse motivum formale fidei? De eo opiniones variantes Bannes, Valenita, Vega, Bellarmini, Suarezii. 7. Traditio seu propositio revelationis Divina authentica & ministerialis distinguitur: & illam soli Deo, hanc hominibus, Mosi, Prophetis, Apostolis, Ministris Ecclesie, & quibuslibet fidelibus competere ostenditur. 8. Censura variantium de proposita questione opinionum. Strophæ Adversariorum per varias sectas discurrentium. Nec publicam nec privatam verbi Divini propositionem ab hominibus factam, esse motivum formale fidei; ostenditur. Distinctio fidei Catholica & Theologica eliditur. 9. Adversarii de morali, prudentiali ac supernaturali certitudine Divina Dedicationis intricata assertio perstringitur. 10.

I. **I**Nvitas me, Decane, ad certamen aliquod Theologico Scholasticum, & ut campum aliquem habeam, in quo me exerceam tecum, reproducis tertium opusculi tui antehac editi discursum. Timebas nempe, ne bellissimus ille Scholastici tui ingenii foetus vel incultus jaceret, vel panem periret. Quid verò faciam? Parebo, an deseram vadium? Si parebo, cogar tecum Sophisticè litare, & tantum non Asdodicè loqui. Sin vadi-
di mo

dimonium deseram, in triumphum me duci cum præjudicio causæ, quam sustineo, sententiam. Mediam calcabo viam, quæstiones & de iis sententias Scholasticorum paucis primò propositurus, ac postea quid de iis sentiendum putem, perspicuè expoliturus.

II. Cum igitur Conradum Episcopum Divinam dedicationem vidisse, adeoque evidentem mysterii notitiam habuisse putes, occasione ea usus quæris: *An ejusmodi evidentia objecti adverteretur fidei, utpote, quæ in Sacris oraculis & Patribus visioni opponitur ceu obscura & enigmatica cognitio, seu argumentum non apparentium?* Cùmque Conradus à te dicatur corporaliter quidem vidisse corporis figuram & gloriæ claritatem, attamen revelationis Divinæ lumine interno edoctus, quòd sub figura oculis exhibita verè lateat corpus verbo Divino unitum, didicisse simili modo, quo Prophetæ de Divinis rebus instruebantur à Deo, ita se illis manifestante, ut eum sibi loquentem ac mysteria revelantem clarè cognoscerent: hinc quæstionem non nihil immutas & sic proponis: *An cum ejusmodi Dei revelantis evidentia stare possit actus fidei?* Hic Schola pro more scinditur in partes. Alii negant, affirmant alii. Negant Magister, Albertus, Scotus, Richardus, Bannes, Sylvius, Lorca & plerique omnes Thomistæ, pluribus argumentis, quæ ordine recitat Ægidius de Conink *de moralitate,*

tate, natura & actibus effectuum supernaturalium, pag. m. 199. Ex multis eorum rationibus allegat Redingius unicam, quod nimirum intellectui Deum sibi loquentem clarè cognoscenti sit evidens propositionis revelatæ veritas, ad cuius adè assensum vi innata rapiatur necessarid, nec per voluntatis motionem liberam captivari amplius possit ac debeat in obsequium fidei. At negant id ipsum alii, Cajetanus, Ferrariensis. Ex pluribus eorum argumentis, quæ idem Conink producit, duo recitat Redingius, suum ei sententiæ calculum impertiens. Prius est, quod supremus Angelus certò sciens in fidei Mysteriis se immediatè à Deo illuminari, in statu Viatoris meritis sit actibus fidei. Posterior, quod Prophetæ Deum sibi loquentem evidenter cognoscentes habuerint meritum fidei, sine qua impossibile sit placere Deo, Hebr. XI.

III. Sed utrique sanè, ut perspicuam *Distinctionem* promam, non parum hallucinantur, priores in thesi, posteriores in theseos probatione, utrique etiam in homonymia vocis *evidentia*, quam non satis evolvunt. Hoc ut ritè percipiatur, ante omnia considerandum est, quod Apostolus docet Hebr. XI 1. *fides nimirum esse eorum, quæ non videntur*. Quo loco thesin suam prior etiam Scholasticorum factio probat. Ea autem ab Apostolo *videri* dicuntur, tum quæ sub sensum cadunt tum quæ

quæ per se ipsa intellectum movent ad sui cognitionem, atque eo modo menti obijciuntur, ut splendore quodam insito veritatis intellectus iis cogatur assentiri, nec ad id opus habeat cujusquam testimonio: qualia sunt principia per se nota, & quæ in scientiis evidenti aliqua ratione demonstrantur. Itaque fide proprie non tenemus, quæ sensu percipimus, nec etiam quæ necessariò & evidenter nobis demonstrata sunt. Unde fides abolenda dicitur in futuro seculo, quippe in quo locum habebit aspectus talis, quo Deum *videbimus* à facie ad faciem, 1. Cor. XIII. 12. 13. 2. Cor. V. 7. Quæ enim fides hîc credenda proponit, ea ipsa in futura vita cognoscemus, iisque assentiemur, quia veritatem in rebus ipsis apertè cernemus & contemplabimur. Quòd igitur in hac vitâ mysteria nobis revelata vera esse nobis persuademus, id non facimus luce quâdam ex objecto manante sufficienter convicti, sed intellectum nostrum veritati Divinæ, quæ de illis testatur, voluntariè submittentem. Quæ obscuritas & inevidentia ita in ratione fidei involvitur, ut ab ea separari non possit, nisi ejus essentia simul tollatur.

IV. Deinde notandum est, duplicem esse evidentiâ, unam *externam*, alteram *internam*. Evidentiâ *interna* est splendor ille veritatis ex re ipsa effulgens, mentemque in assensum necessariò pertrahens. *Externa* verò est, cum non

non ex ipsa rei, quæ obicitur, luce, sed aliunde evidenter constat ipsi esse credendum. Posterior hæc evidencia fidei ut insit, non tantum nihil prohibet, sed etiam necessaria ratio postulat. Etenim ei, cujus testimonium fide recipitur, autoritas tanta constare debet, ut omni exceptione majorem esse, adeoque per se *ἀξιόπιστον*, dignum nempe, cujus testimonium promptissima fide amplectamur, evidenter cognoscamus. Ita Patriarchæ, Moses, Prophetæ Deum esse, qui illis apparuit, & cujus testimonium fide apprehenderunt, non impostorem aliquem sive hominem sive Dæmonem, evidenter ante omnia cognoscere debuerunt. Sic ex Apostolorum & Christi miraculis evidens erat, ipsorum sermonibus fidem adhibendam esse. Et iis, qui fidei lumine sunt collustrati, evidens est, Deum esse, qui in verbo suo loquitur & testatur, propter dicentis & verbum suum illustribus notis & criteriis ipsis approbantis autoritatem. Nempe fides reclinat in testantem non cæco affectu, sed propter iudicium, quod de testante habet, quo ei attribuit parem testimonio, sive idoneam ad testandum scientiam aut prudentiam, ac virtutem amoremque veritatis; imò & potentiam, si quid promittat. Deum autem non posse mentiri, nosque id tutò posse credere, naturâ notum est. Quod autem Deus testetur, & non vel dæmon sit, vel ho-

mo mendacii suspectus, qui loquitur, non jam credimus tanquam obicuum & inevidens, sed alia ratione cognoscimus cum *αληθεια* *φειλα*.

V. Hinc jam nullo negotio de Scholasticorum conflictantium causa iudicium solidum ferri poterit. Cum enim fides exigat claram noticiam testantis, patet errare eam Scholasticorum sectam, quæ negat, cum Dei revelantis evidentiâ actum fidei consistere posse. Neque solida est, quam asserunt, ratio, quippe quæ de *externa* testantis, non *interna* testimonii evidentiâ loquitur. Neq; etiam qui affirmant, rectè procedunt, tum quia quam evidentiâ intelligent, non satis explicant, tum quia rationibus ineptis militant. Etenim Angelum supremum in statu viatoris actibus fidei meritum esse gloriam, unde fidem facient? Scio id Scholæ vestræ placere. At scripturæ placere, non video. Nec fides Angelorum gloriæ eorum præcedanea, meriti propriè dicti conditiones habet, utpote quæ nec propriis ex viribus manavit, nec indebita fuit, nec cum gloria ipsa commensum & proportionem habuit. Et quales quæso fuerunt actus fidei, quibus gloriam meruerunt Angeli, præcedentes ne, simultanei, an consequentes? Si *præcedentes*, vel in primo creationis eorum instanti, quod absurdum; vel in intervallo paucorum dierum, quod itidem falsum

sum. An enim proportio est æqualitatis inter gloriam extensivè infinitam, & paucorum dierum meritum? *Simultaneos* fuisse non dicent, quia meritum omne temporis requirit tractum, in cuius demum termino gloria datur. In termino autem locum merendi esse, rectè negant ipsi Scholastici. Neque denique ex *subsequentibus* fidei actibus gloriam mereri Angelus ille potuit, quia iustitia commutativa exigit, ut opus quod mereri debet, ipsam mercedem præcedat.

VI. Ex quaestione hac tum proposita, tum à me etià discussa, corollaria duo neci possunt. Primò fateris, Conradum revelationis Divinæ lumine interno edoctum cognovisse, sub figura externa oculis in Sacello exhibita verè latere corpus verbo Divino unitum. Fatearis igitur etiam oportet, fideles Divinæ revelationis lumine interno, adeoque Spiritûs S. testimonio interno cognoscere posse, Deum esse, qui in Scriptura loquitur, adeoque Scripturæ originem Divinam esse. Desines igitur in posterum, desinent etiam Sophistæ vestri Spiritûs S. testimonium internum, quo Divinitatem Scripturæ comprobamus, explodere. An enim putas, Spiritum Sanctum Conradum interno suo lumine & testimonio de Divinitate visionis certiozem reddidisse: at eundem fideles suos de Scripturæ Divinitate interno ejusmodi lumine & te-

testimonio certiores non reddere? An Conradum sine auctoritate Ecclesiæ, solo interno revelantis spiritus lumine Divinitatem apparentis cognovisse dices: at fidelibus testimonium illud Spiritus S. sine Ecclesiæ auctoritate sufficere non potuit? Secundò fateris, evidentiam revelantis posse consistere cum actu fidei. Hoc si verum est, uti sanè verissimum est, sequetur etiam, cum fide scripturarum non pugnare evidentiam revelantis Dei. Cur igitur indignamini nobis, cum per criteria Divinitatis, quæ per universam scripturam sparguntur, probamus, eum qui in scriptura loquitur, Deum esse, adeoque evidentiam revelantis nobis comparamus? Sic in fumum abit illud novorum Methodistarum splendidum cavillum; nos Divinitatem Scripturæ adeoque evidentiam revelantis insitas per notas probantes, scientiam potius imò opinionem, quàm fidem scripturarum profiteri, quasi videlicet evidentia Dei loquentis, & suis se infallibilibus indiciis prodentis, cum fide esset planè *ἀπόδειξις*. Habes & hîc, Reddingi, novum campum, in quo ingenium tuum Scholastico-Theologicum exultet.

VII. Alteram quæstionem proponis: *An revelatio Divina tum S. Conrado privatim, tum populo universo audiente publicè facta, possit esse motivum formale fidei Theologicæ?* Rationem dubitandi affers ex Magistro & Bannes, docentibus

ibus, solam revelationem publicam per Ecclesiam principes Apostolos & Prophetas à Deo traditam, esse motivum formale fidei infusæ. Videri igitur, non ad fidem Theologicam, sed ex mente Valentiam ad prudentiam infusam seu donum consilii pertinere, credere Sacelli Einsidlenfis Divinam consecrationem. Hoc non obstante, astipularis Vega, Bellarmino & Suarezio, qui tenent, quamlibet revelationem sive publicam per Ecclesiam principes factam, sive privatam pertinere ad formale motivum & habitum fidei infusæ, eò quòd in revelatione æquè privata ac publica prima veritas ferat testimonium. Unde revelationum privatæ ac publicæ discrimen tenere ais non ex parte rationis motivæ credendi, sed ex parte credibilitatis, quæ in revelatione publica desumatur ex auctoritate Ecclesie, in privata verò ex argumentis per internum Spiritus S. instinctum ab homine privato cognitis. Concludis igitur, ex decreto Leonis VIII. aliorumque Pontificum sufficientem desumi credibilitatis evidentiam, & rationem cœlestis illius oraculi revelationem Divinam taliter applicantem, ut secundum prudentiæ infusæ regulas possit voluntas movere intellectum ad præstandum assensum testimonio Dei, Capellam Einsidlensem Divinitus consecratam asserentis. Si enim, inquis, in revelatione privata de futuro

filio Saræ fides Hebr. XI. laudetur, tanquam
 ejusdem cum alia quacunque excellentiæ:
 à fortiori circa revelationem de Sacello Ein-
 sidensî Divinitus consecrato voce Cœlesti
 publicè & à summo Pontifice approbatam po-
 test verari fides infusa ac Theologica. Hæc
 sunt tua sic satis intricata, de motivo fidei
 Theologicæ, quod consecratio Sacelli vestri
 Divina sit, meletemata Scholastico-Theolo-
 gica.

VIII. De re ipsa sic habendum. Traditio
 seu propositio revelationis Divinæ est vel *au-
 thentica* & cum tanta authoritate conjuncta,
 ut absq; ulla demonstratione per eam obligetur
 fides, & sine ea non obligetur; vel *ministe-
 rialis*, & cum tanta authoritate non conjun-
 cta. Authentica ab alio fieri non potest, quàm
 ab ipso Deo. Is enim solus ita verbû suum pro-
 ponit, ut eadem ratione ad fidem obliget. Ita
 Scriptura habet virtutem & potentiam tan-
 tam, ab authore Deo sibi impressam, ut sola
 ea revelatio & propositio accedente opera-
 tione Spiritus S. ipsum credendi actum produ-
 centis, ad fidem obligandam abunde sufficiat.
 Neque potest ea sive traditio sive propositio
 revelationis Divinæ vel Ecclesiæ principibus,
 qui eos perperam adversarius vocat, vel ulli
 homini, quicquid Pontificii pertendant, tri-
 bui. Imò talem fidei Dictatorem & authorem
 extra Deum introducere, est Divinæ vocis

τὸ τορὸν καὶ ἀληθείαν, & veritatis fulgur, & Divinae Majestatis auctoritatem, & vim conscientiae Divino juri & Divinae sapientiae attestantis, negare; denique id quod Dei est, in homines transferre. Ministerialis verò propositio & traditio est hominum, qui quæ audiverunt vel viderunt, fideliter narrant, nec patiuntur ea negligi aut oblivioni tradi, sed potius à Deo dicta idoneis inque evidentibus argumentis demonstrant. Tale ministerium fuit Moysis, Prophetarum, Apostolorum, estque hodièque Ministrorum, imò omnium fidelium Ecclesiae, cujusque pro suo captu. *Mosis* quidem, qui stabat inter Deum & populum, Deo alloquendum, at publicè à Deo vocatus *servus fidelis in tota domo ejus* legem & statuta & judicia verbis Dei & legatione ejus proponeret voce & scripto. *Prophetarum*, qui legem Dei repetebant, ejus mysteria explicabant, judicia & beneficia Dei denunciabant, futura bona aut mala prædicebant. *Apostolorum*, qui prædicabant & testabantur, quæ circa Christi apparitionem viderant, & audierant, & mysteria Regni in Scripturis V. T. comprehensa per Spiritum S. in ipsis evidenter operantem ex iisdem Scripturis explicabant. *Ministrorum* quorumlibet Ecclesiae N. T. qui ea quæ in scripturis leguntur de fœdere Dei, apud Ecclesiam, pro modulo charismatis temporum & hominum per fidei professionem,

nem, catechesin & *θερησιαν* narrant, docent,
 rudes, corrigunt lapsos, redarguunt errantes,
 regunt imperitos & inexercitados, & si quid
 aliud. Denique *fidelium* quorumlibet, pro suo
 captu, qui & ipsi *πισωφειτες*, certi redditi de iis,
 quæ alii viderunt & audiverunt, narrant fra-
 tribus suis magnalia Dei, eosque in fide Divi-
 narum rerum confirmant. Mediante hac *mi-
 nisteriali* propositione Divina revelatio facta
 semel ad homines per omnes ætates & locos
 propagatur, ita ut ii, qui non audiverunt &
 viderunt, fiant participes Divinæ apocaly-
 pteos, *πισωφειτες* per ea, quæ constantissime
 narrantur, & quæ conscientia eorum in ver-
 bo proposito vera, justa, Deoque decora de-
 prehendit. Talis propositio verbi Dei non
 utique *authentica*, ita ut sine ulla demonstra-
 tione propter eam dictationem, tanquam
 rationem sufficientem, & ex se nota autori-
 tate fultam, fidem obliget; sed humanæ mo-
 destiæ conveniens, apud eos, qui primò non
 audiverunt & viderunt, intervenit ordinariè
 ad fidem, ut effectus revelationis Divinæ cau-
 sam suam demonstrans, quia nisi talis revela-
 tio Divina primitus reverà facta esset, propo-
 sitio ejusmodi & prædicatio minime contin-
 geret. Discrimen hoc propositionis *authentice*
 & *ministerialis* paucis complectitur Regius
 Vates Psalm LXXVIII. 12. אֲדַמְּי יְהוָה אָמַר
 אֲדַמְּי יְהוָה אָמַר *Dominus dat dictum: boni
 præco-*

praconiarices sunt turma seu exercitus muleus. En-
loquentem Deum, turmas narrantium visa
& audita, easque magis magisque increbe-
scentes passim cum fide mundi. Nulla ibi pro-
positio dictatoria praeter dictum Domini.

IX. Praemiisâ & clarè propositâ Orthodo-
xâ sententia, Adversarii Sibyllina folia nullo
negotio discutiemus. Primò observanda ve-
nit strophæ vestra & artificium, quo assertio-
ni alicui fidem facturi, ab una Scholasticorum
secta vos verè ἀποπροσαδοι convertitis ad al-
teram, ut hac minus favente reperiat is faven-
torem aliam. Ita tu probaturus, fide Theolo-
gica constare de Divina Sacelli consecratio-
ne, cum incurreres in Magistrum & Bannes,
qui solam publicam revelationem per Eccle-
siae principes traditam statuunt esse motivum
formale fidei infusæ, nec non in Valentiam,
qui ejusmodi revelationem per Ecclesiae prin-
cipes non traditam, refert non ad fidem Theo-
logicam, sed ad prudentiam infusam seu do-
num consilii: desertis utrisque utpote minus
propitiis, confugis ad Vegam, Bellarminum
& Suarezium, utpote qui quamlibet revela-
tionem sive publicam per Ecclesiae principes
factam, sive privatam, ad formale motivum
& habitum fidei infusæ referunt. Ita verum-
nos agitis, & primò liberrimè ubique ferè
dissentitis, postea verò eorum, qui vos præ-

cesserunt, dissensu turpiter abutimini ad quid-
 vis probandum. Secundò accipimus id, quod
 nobis largiris, nimirum Leonem VIII. Ein-
 sidensẽm dedicationem non decrevisse *fidei*
articulum. Non igitur fidei articulus est, cre-
 dere Divinam Sacelli vestri dedicationem.
 Unde sequitur, sine fidei non tantum Ortho-
 doxæ sed etiam Pontificiæ periculo in dubium
 vocari, imò negari etiam posse Eremitanum
 vestrum Mysterium, adeoque immeritam es-
 se iram, qua me illud negantem prosequeris.
 Tertio falluntur vestri Doctores, tum qui so-
 lam revelationem publicam per principes Ec-
 clesiæ factam, tum qui utramque & publicam
 & privatam faciunt motivum formale fidei
 Theologicæ. Ex iis enim, quæ superius à no-
 bis dicta sunt, abundè constat, fidem Divi-
 nam non posse reduci aut resolvi in authori-
 tatem hominum sive publicè sive privatim
 proponentium, aut in alia simplicia argumen-
 ta extrinseca & motiva fidei: sed in solam au-
 toritatem Dei & verbi ejus, tanquam in pri-
 mam & propriam causam ipsius actus cre-
 dendi. Quartò non possum non laudare in-
 genuam confessionem nostri Decani, quod
formale fidei Theologicæ motivum sit prima veri-
tas revelans. Unde colligo, id, quo movetur
 intellectus ad assensum Dei sive in re, sive in
 verbo aliquid testantis, non esse Ecclesiæ au-
 thoritatem, sed solius Dei tanquam primæ ve-
 ritatis

ritatis testimonium: ad eoque nos sine auctoritate Ecclesiæ ut formalis motivi credentes verbo Dei, tum propter notas divinitatis in eo splendentes, tum propter Spiritus S. testimonium minimè culpari posse. Quod verò subjungis, in revelatione publica credibilitatem peti ex auctoritate Ecclesiæ, id partim ἀόυστων est, partim falsum & in verbum Dei injurium. Et ἀόυστων quidem est, quia si sola prima veritas revelans est, uti fateris, etiam in publica revelatione motivum formale fidei, nihil aliud ad credibilitatem requiritur. Falsum & in verbum Dei injurium est, quia inde sequeretur, verbum Dei publicè credibile non esse, nisi ab hominibus propositum. Quod perinde est, ac si parentis verbum filio, pastoris vocem ovi credibilem non esse, nisi ab aliis filio & ovi propositam statueres. Et si privata, uti etiam fateris, revelatio petitur ex argumentis per internum Spiritus S. instinctum ab homine privato cognitis, cur non etiam id, quod publicè innotescere debet Ecclesiæ? An in eo, quod publicè proponendum Ecclesiæ, non æquè micant Divinitatis infusæ argumenta, ut defectus ille splendoris suppleri debeat ab hominibus? Hoc quid aliud est, quàm extollere fidem hominum supra fidem verbi Divini? At nos dicimus cum Paulo Rom. III. 4. *Esse Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quartò distinctio fidei infusæ in Catholicam,

atholicam, complectentem veritates universali
 Ecclesiæ credendas, & *Theologicam* continen-
 tem omnes hominibus etiam privatis à Deo
 factas revelationes, aliena est. Quicquid
 Deus revelavit, illud credendum est omnibus
 de revelationis certitudine edoctis. Eadem
 proinde fides circa quamcunque revelatio-
 nem occupatur. Aliàs illa fidei *Catholicae* &
Theologicæ distinctio non alium in finem à vo-
 bis introducta est, quàm ad elevandas perpe-
 tuas in gravissimis Theologiæ capitibus Scho-
 læ vestræ rixas, & scepticismum palliandum.
 An verò ex Leonis VIII. decreto rectè abs-
 te petatur *sufficiens*, ut loqueris, *credibilitatis*
evidentia, & *ratio cœlestis illud oraculum taliter ap-
 plicans*, ut secundum prudentiæ infusæ regulas pos-
 sit voluntas movere intellectum ad præstandum as-
 sensum testimonio Dei, capellam Einsidensem Di-
 vinitus consecratam asserentis; inferius dispicie-
 mus. In eo tamen bonorum omnium censu-
 râ dignus es, quòd fidem circa revelationem
 de consecratione Sacelli vestri à summo Pon-
 tifice approbatam verbis à fortiori præfers i-
 plius Saræ fidei ab Apostolo Hebr. XI. 11. lau-
 data. Quæ tua argumentatio si stringeret, fi-
 des Patriarcharum omnium, Prophetarum
 & Apostolorum, utpote quorum revelatio-
 nes bullato aliquo Pontificis decreto roboratæ
 non sunt, longè subsideret infra fidem,
 quam

quam habetis Sacelli vestri consecrationi à Pontifice Leone VIII. firmatæ.

X. Quæ Dissertatio tua decima de morali, prudentiali ac supernaturali certitudine, qua constet licere cultum Divinum peragere in Sacello Einsidlensi, differit, tam obscura sunt, tam horrida, ut cum ea scriberes, sinapi victitasse, aut in antro Trophonii oracula reddidisse videare. Quisquis ea legerit, iudicabit, longè melius te tacendo, quod volebas, assecuturum fuisse, quam tam obscure & barbarè scribendo. Et tamen quæ operosè, & ut miraremur potius nos simplices, quam intelligeremus, involvis, paucis verbis exprimere poteras; nimirum certò & infallibiliter constare, Christum & beatam virginem in Sacello vestro adorandam; eò quòd *fidei Divinæ* principium sit Christum & beatam virginem in Basilicis Deo, seu Christo ejusque matri consecratis, adorandos esse: *prudentiæ* verò *infusæ* consilium suggerat, Christum Sacellum Einsidlense consecrassè, cum & attestatio Conradi, & vox cœlestis publicè audita & in Romano conventu deducta & probata, ab ipsòque R. Pontifice approbata, & secutus inde septingentorum annòrum cultus, ac traditio miraculis roborata id confirmet: ex quo tum *fidei Divinæ* principio, tum *prudentiæ infusæ* consilio, velut ex duabus præmissis sequatur omnimoda *practica* certi.

cēritudo cultūs tum patriæ Christi tum h̄y-
perdulæ B. Virginis. Quæ omnia cum non
contineant nisi meram λήψιν τῶν ἐν ἀρχῇ, uti
ex iis, quæ hæctenus dicta sunt, & deinceps
dicentur, liquet, prolixiore hoc loco examine
digna non judicamus.

DISSERTATIO SEPTIMA.

Quæ argumenta, quibus proba-
tur, visionem, si qua obtigit Conrado,
Divinam non fuisse, vindi-
cantur.

BREVIARIUM.

*Argumentum primum contra apparitionis Divi-
nitatem ex Act. III. 21. depromptum vindica-
tur 1—5. An Christus Stephano, Petro Romæ
fugienti, Paulo Damascum proficiscenti, Carpo,
aliis in terra corporetenus apparuerit? Expli-
cantur loca Act. VII. 55. 56. Act. IX. 4. XXIII.
II. 1. Cor. IX. 1. XV 7. eaque apparitioni Chri-
sti in terra minimè favere probatur. 2. An
Christus non deserto Cœlesti throno suo, in terra
tamen apparuerit circumscriptivè duobus in lo-
cis existendo? Argumenta contra replicatam cir-
cumscriptivam presentiam afferuntur. 3. Re-
dingii assertio, quòd Christus secundum virtua-
lem presentiam manens in throno suo, in terra
appæ-*

apparuerit secundum quantitativam locatio-
nem, refellitur. 4. Argumenti secundi à fine ap-
partitionis, invocatione sanctorum & ad eorum
imagines peregrinatione petri vindicia. — 9.
Solvuntur argumenta ex antiquitate & scriptu-
ra pro invocatione sanctorum objecta. 5. 6. Pro-
teritus cultus relativus & dulcentici sanctorum di-
sentitur. 7. An assertio orthodoxa, quod Chri-
stus ad dextram Dei sedens, nulli amplius in ter-
ra loco alligatus sit, vel cultum Dei in terra abo-
leat, vel Tempia nostra in popinas & Tempia
Turcica converiat? 8. Tertium argumentum
arcessitum à ritibus, quibus Christus Sacellum
dedicasse dicitur, ab instantiis Adversarii libe-
ratur. 9—14. Discrimen orthodoxa & Pontificia
de legibus seu ritibus Ecclesiasticis sententia. An
ritus illi, quibus Episcopi in Templorum Dedi-
catione utuntur, in veteri Ecclesia fuerint usita-
ti? Eos ex Paganismo petitos esse ostenditur, e-
tiam ex Baronii & Redingii consensu. 11. Argu-
mentum Adversarii, quo Christum ipsum his
ritibus usum demonstrat, solvitur. 12. Errores
aliquot ab Adversario in Discursu VII. admissi
deteguntur. 13. Quartum argumentum inde
petitum, quod Christus in Sacello missam celebra-
verit, adversus exceptiones Redingii asseritur.
14. Antheatrica mortis Christi in missa repre-
sentatio ex institutione Eucharistia rectè probe-
tur? 14. An sacrificialis representatio? 15. Re-
futantur argumenta pro stabiliendo Sacrificia
missae

missatico 15. Georgium Ataidem Lusitanum
 interfuisse Concilio Tridentino, & in eo Missam
 oppugnasse ostenditur. 16. An Christus in Sa-
 cello se ipsum producere & comedere potuerit?
 Ventilantur duo modi, quibus asseritur Christi
 missam celebrantis corpus simul potuisse existere
 sub hostia. Prior Suarezii, quod Christus se ipsum
 produxerit. 18. Posterior Cardinalis de Lugo
 & Redingii, quod Christi corpus sub accidentibus
 panis non sit productum, sed iis duntaxat uni-
 cum. 19. 20. Modus, quo se ipsum manducare
 potuerit, Christus ab Adversario expositus refel-
 litur. 21. Cyrilli Alexandrini consensus vindicatur,
 & futilis Adversarii distinctio inter par-
 ticipationem sui ipsius secundum identitatem &
 motum accidentarium eliditur. 22. An Chri-
 stus idem potuerit esse & cibus & cibo utens
 comedens & comestum? Adversarii Pseudo-
 philosophia. 23. Antilogia aliquot in dogmate
 missatico concilianda Dialectice Redingii offe-
 runtur. 24.

I. **T**Otius ferè rei cardo in eo vertitur, an
 visio Conradi, si qua ipsi obtigit, Di-
 vina fuerit. Id negat solidis argumen-
 tis Synodalis Dissertatio, quæ nunc vindican-
 da nobis sunt. Divinam non fuisse probavi,
 quia cum verbo Dei adversa fronte pugnabat.
 Etenim primò Petrus testatur Act. III. 21. o-
 portere Christum cælo capi usque ad tempus
 resti-

restitutionis omnium. Unde sequitur eum, qui extra cœlum in Sacello terrestri apparuit, verum Christum non fuisse.

II. Hic Adversarius non tam meam, quam Petri Apostoli assertionem oppugnat, argumento à visionibus Christi, quæ Stephano, Petro Româ fugienti, Carpo, & Paulo Damascum proficiscenti obtigerunt. Quibus addunt aliæ visiones, quæ factæ dicuntur Antonio apud Athanasium in ejus vita, Tharsillæ apud Gregorium, & Gregorio ipsi apud Johannem Diaconum in ejus vita. De visione Petri & Carpi non laboramus. Cum enim incertâ tantum traditione nitantur, & imaginariæ esse potuerint, imò, ut Lorinus putat, per Angelos Christum repræsentantes, factæ, certo scripturæ testimonio opponi non possunt. B. Stephanum verò quod attinet, dicitur is Actor. VII. 55. 56. conspexisse Cœlos apertos, & filium hominis astantem ad Dei dexteram. En apertis cœlis vidit filium hominis astantem ad dexteram Dei, non utique in terra, in qua non est dextera Dei, sed in cœlo. Aperti dicuntur Cœli, non quia revera Cœli aliqua scissura facta esset, sed quia nihil visum ejus impediabat à gloriæ Divinæ aspectu. Itaque miraculum non esse factum in Cœlo, sed in Stephani oculis, quibus data fit nova acies, quæ per obstacula omnia, usque ad invisibilem regni cœlestis gloriam penetraret,

traret, etiam Pontificii quidam commentatores sustinent. Quamquam & in cœlo & in acie oculorum Stephani collocare miraculum nihil prohibet. Id sufficit, quòd Christum vidit non in terra, sed in cœlo ad dexteram Dei. Quoad Paulum, qui Damascum profectus audivit vocem Christi Act. IX. 4. quem vidisse dicitur 1. Cor. IX. 1. XV. 7. non desunt inter Pontificios, qui existiment, apparitionem illam factam esse per Angelum gerentem Christi personam. Ita Gabriel Vasquez *Disp.* 189. *cap.* 8. & Haymon in Apocal. Cap. II. Verùm cum eam sententiam nec ipse probem, dicam potius cum plurimis veterum, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Oecumenio, nec non Pontificiis quibusdam, Carthusiano, Lyrano, Cajetano, Salmerone, Aria montano, Mariana, visionem hanc Pauli non fuisse corporalem, sed potius *Spiritualem, mentalem, internam.* Nec quidquam contra facit levis instantia Redingii, quòd Paulus 1. Cor. XV. 7. visionis istius argumento utatur ad fidem resurrectionis confirmandam: cujusmodi, inquit cum Doctore Angelico, argumentum foret inefficax, si apparitio illa per corporalem præsentiam non contigisset. Quasi verò Paulus non futurus fuisset testis eorum, quæ spiritu Divinitus illustrato viderat. Oculis mentis extra ordinem illuminatæ videre, annon certò videre est? Sed largiar etiam ad extremum,

tremum, Dominum à Paulo corporalibus oculis fuisse visum. An ideo Dominus fuit in terra, aut prope terram? At non tantum veteres, Irenæus, Basilus, Ephræm, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, alii; sed etiam Pontificii Doctores, Dionysius Carthusianus in *Act.* 22. Estius & Justinianus de *Paulo Disput.* 3. c. 4. fatentur, & unanimiter docent, Christum cum Paulo loquentem fuisse in Cœlo, & de cœlo locutum, & in cœlo visum. Quid hinc oppones Redingi? An quod *lux circumfulgens excœcaverit Paulum, non excœcutura nisi propinquâ fuisset?* At nec certum est, lucem illam produsse è corpore Christi, quod Becanus *verisimile* tantum esse dicit: & sol ipse licet in cœlo remanens lumen suum diffundit ad terram usque, à quo excœcari possunt illud minus attentè intuentes. Quanto magis sol justitiæ infinito splendidior id præstare potuerit? An quod *mutuum Paulum inter & Christum colloquium, aliterum alteri vicinum fuisse, arguere videatur?* At Christus vocem suam è cœlo usque ad terram diffundere potuit, æquè ac *Genes. XXII. 11.* legitur, Angelum de Cœlo ad Abrahamum clamasse. An quod *Ananias dicit, Act. IX. 17. Dominum Paulo apparuisse in via, quâ veniebat?* Atqui Ananias non dicit Dominum fuisse in via, quâ Hierosolymis Damascum itur, sed Dominum apparuisse Paulo, cū is esset in via. Speciosius

Redingius allegasset locum Act. XXIII. ubi quem etiam Valentia, Becanus & Gamachæus urgent. Ibi nempe dicitur *sequenti nocte* *θεωσις* assistens ei (Paulo.) Dominus dixisse: *Confide Paule.* Sed fuisse hanc visionem imaginariam, nobiscum tenent Carthusianus & Menochius, idque *probabili sententia*, ut Lorinus observat. Et sanè moris est, visiones imaginarias iisdem verbis describere, ac si realiter & per corporalem præsentiam factæ fuissent. Id quod patet tum ex scriptoribus exoticis Luciano in Chronosol. Plutarcho in *Sylla*, Diodoro Siculo lib. 5. Halicarnasseo lib. 1. Xiphilino in *Adriano*, aliisque illud ipsum verbum *θεωσις* usurpantibus in descriptione ejusmodi visionum: tum ex Act. XVI. 9. ubi similiter dicitur: *Visio per noctem apparuit Paulo, Macedo ἑστὸς, stans, deprecans eum & dicens, transiens in Macedoniam adjuva nos.* Patet igitur evidenter, nec B. Stephano, nec Paulo Dominum in terris unquam apparuisse. Cùmque Christus se repræsentaturus utrique, ut visione eâ se erigerent, & consolarentur in rebus adversis, potiùs in oculis tum Stephani tum Pauli aciem eorum longè supra consuetum naturæ ordinem intendendo, miraculum patrare, quàm deferendo thronum in terras descendere voluerit, hinc fortiùs nexus argumenti mei adstringitur. Colligere enim hinc mihi licet, omnino stare Dei sententiam juxta Petri

331.
Petri effatum, ut Christus in Cœlesti suo throno constanter resideat, neque eum unquam deserat, donec rediturus est ad restitutionem omnium.

III. Cum exemplis ab Adversario allegatis Christi in terris visio & existentia statuminiari nequeat, multò minus efficienti strophæ, quibus tum Major aliique recentiores Scholastici, tum Redingius argumentum ex verbis Petri petitum eludere satagunt. Et Major quidem, eumque secuti Scholastici perpendunt, Christum nec thronum suum unquam deseruisse, & in terris tamen per veram ac realem sui præsentiam quandoque apparuisse, *quantitative nimirum, & circumscriptive in duobus simul locis existendo.* At Redingius aliam ingressus viam, ex Thoma Aquinate respondet, Christum in terra apparentem secundum quantitativam locationem, manifeste tamen in cœlo *secundum præsentiam virtua-* lem. Sed repeto, quidquid stomachetur Adversarius, nugari hos homines de schola, & paradoxa loqui Scripturæ, antiquitati & sanæ rationi adversantia. Quoad Majorem, & eum secutos Scholasticos, astipulantem nactus sum ipsum meum Adversarium Redingium. Cujus quidem candorem laudandum omnino duco in eo, quòd cum in suis de Sacello Einsidlensi Discursibus anthac emissis Thomæ Aquinati se opponens, defendere conatus

tus fuerit *possibilitatem replicata circumscriptiva*
locationis, ut loquuntur, hoc est, quoddam Christi
 corpus replicatum seu reproductum à Deo
 circumscriptivè pluribus in locis existere pos-
 sit: nunc & in Theologia sua Scholastica, &
 in Dissertatione XI. §. 4. mihi opposita, in-
 genuè fassus errorem suum, & mutatâ sen-
 tentiâ, assentitur veræ sententiæ, victus ar-
 gumento ab Aquinate prolato, quoddam corpus
localiter esse in loco nihil aliud sit, quam circum-
scribi ac comprehendi à loco, secundum commensu-
rationem propriarum dimensionum: quod autem
comprehenditur à loco aliquo, ita esse in loco illo, quod
nihil ejus extra locum eum sit. Unde ponere, quod
localiter est in hoc loco, & tamen sit in alio, esse po-
nere contradictoria. Sed longè plura movere
 adversarium poterant ad explodendum re-
 productionis figmentum. ex quibus pauca
 suggeram. Si corpus Christi in diversis locis
 esset circumscriptivè, foret nec unum seu in-
 divisum, nec continuum. Non unum, quia
 tot corpora erunt, quot sunt diversi generis
 dimensiones, ad diversa loca commenturata.
 Non continuum, quippe in locis ingenti in-
 tervallo disparatis & discretis existens. Idem
 corpus replicatum dici poterit simul esse actu
 & potestate: ad se ipsum referri poterit rela-
 tione reali: simul erit in motu & quiete: &
 quid non? Et corpus Christi reproduceretur
 vel motu, vel nova generatione. Si motu, de-
 seret

feret locum, adeoque non erit circumscriptivè in pristino loco. *Si nova generatione*, Christus ubicunque in terra, sive in Sacello sive extra illud existit, denuo generari debet. Sed notabit in primis illud Adversarius, quod Scotus in 4. *Distinct.* 10. asserat, argumenta quæ Thomas, ejusque Sectatores contra plures præsentias circumscriptivas asserunt, si quid roboris habent, pariter pugnare contra unam circumpræscriptivam & plures Sacramentales. Cùm igitur juxta Thomam contradictionem implicet reproductio circumscriptiva, & juxta Scotum eadem argumenta contradictionem eam probantia, etiam probent contradictionem unius præsentia circumscriptivæ & plurium Sacramentalium, conficitur inde, Christi in Cœlo præsentiam circumscriptivam, & in cœna Sacramentalem, uti eam vos explicatis, contradictionem involvere.

IV. Jam nec felicior est conciliatio Redingii, asserentis, Christum in terra apparentem *secundum quantitativam locationem*, mansisse tamen in cœlo *secundum virtualem præsentiam*. Hoc enim est nodum secare non solvere. Etenim primò id oportebat in Cœlo esse usque ad restitutionem omnium, adeoque perpetuò à terra abesse, quod post ascensionem oportebat *ἐξ ουρανῶν δεξιᾶς αὐτοῦ cœlo capi*. At Christum oportebat cœlo capi non *secundum virtualem*

lem duntaxat praesentiam, sed imprimis secundum praesentiam externam corporis, quod terram desertam in caelum ascenderat, ibique thronum suum occupaverat. Ergo secundum eam praesentiam caelo capitur usque ad restitutionem omnium. *Secundo* Christus secundum *virtualem praesentiam* etiam humanae naturae suae nunquam terram deseruit. Dixit enim: *Ero vobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculorum.* Si igitur Christus juxta adversarium terram invisens, & in Caelo tamen manens juxta virtuales praesentiam, dici adhuc potuit *caelo receptus*: eadem opera dici poterit Christus propter perpetuam virtutis & meriti sui in terris praesentiam *terram recipi usque ad restitutionem omnium.* Adeoque Christus post ascensionem suam & caelo & terram receptus fuerit. Quis non videt, hac ratione tantam Petri verbis ambiguitatem tribui, quantam ne ipse quidem Apollo Loxias committeret? *Tertio* ait Petrus, oportere Christum *δεξασθαι* caelum capere, vel *caelo capi*, id est, *caelo capum contineri*, ex usitato Hebraismo, quo fit, ut ex antecedente intelligatur consequens. Perspicuum est, hoc de sola virtuali praesentia, ab externa & corporali sejuncta, dici minime posse. Virtus enim & meritum Christi non ita caelo alligatum est, ut dici possit eo *δεξασθαι capi*, vel *capum contineri.* Si igitur ad breve
tem.

tempus cœlum Christus corpore suo deseruit,
 eo brevi intervallo Cœlo non continebatur,
 adeoque cœlo receptus usque ad restitutio-
 nem omnium, dici minimè potuisset. Acce-
 dit quòd *δέχεται* recipi, contineri propriè non
 virtus, sed subiectum virtutem sustinens, in-
 primis corpus dicitur. *Quarto* si Christus in
 terra existens ad breve tempus, cœlo tamen
 simul recipitur & continetur propter virtua-
 lem in eo præsentiam: poterit perpetim in
 terra locatus, tamen dici cœlo immobiliter
 contineri. Atque ita nihil obstabit, quò mi-
 nus quotidie Christus nobiscum sit *secundum*
quantitativam locationem. *Quinto* denique duos
 Majestatis Christi thronos, alterum pro statu
 restitutionis, alterum pro statu Ecclesiæ mili-
 tantis, nusquam scriptura distinguit. Ubi au-
 tem lex non distinguit, nec nostrum est distin-
 guere, imprimis si nulla cogat necessitas.
 Cum enim Christum in terra apparuisse vel
 Stephano vel Paulo probari non possit, nul-
 la necessitas cogit, ut propter controversam
 maximè ejus in Sacello Einsidensi apparitio-
 nem novus majestatis Christi thronus consti-
 tuatur. Hac enim ratione clarissima quæque
 Scripturæ loca, prout quisque ingenio ad fin-
 gendum abundat, eludere poterit. Exem-
 plum porro Regis obligati residere in regno,
 est *ἀναγκασθὲν ἰσχυροῦ*. Si enim extra regnum se re-
 cipiat per breve tempus, cum obligatus sit

non deserere thronum suum, vel necessitas vel voluptas secessum suadebit. At Christum neutra impellit ad deserendum thronum. Non *necessitas*, quia spiritus & virtutis ipsius presentia abundè ad omnia sufficit. Non *voluptas*, quam in terris majorem, quam in magnificentiæ suæ throno capere minimè potest.

V. Secundum argumentum inde mihi petitum erat, quòd cum scriptura mandet invocationem solius Dei, apparitio tamen & dedicatio Sacelli Eremitani non alium in finem instituta sit, quàm in stabilimentum religiosi cultus sanctorum & supersticiosissimarum ad loca iis dedicata peregrinationum. Adversarius ut argumenti mei vim effugiat, primò sanctorum invocationem, deinde peregrinationum usum propugnat. Sanctorum invocationem propugnat primò ex Patribus, secundò ex scripturis. Patres magno numero, locis ex Bellarmino nudè citatis, ostentat. Ubi ipsa ex Patribus illis loca posuerit, facilis erit responsio. Nunc autem tantisper eum amandatum velim ad Theologos nostros Polemicos, inprimis Chemnitium in Exam. Concil. Trident. *de invocatione sanctorum*; Vossium *Disput. 10 Theol. Theolog. Chamierum Panstrat. tom II. lib. XX cap. 5.* Dallæum *de religiosi cultus objecto, lib. 3.* nec non meas *de fide Decretorum Concilii Tridentini quæstiones Theologicae*, ante

octo annos Steinfurti impressas, pag. 270. 271. ubi loca ex patribus objecta accurate expenduntur. Paucis omnia complectar. In tribus prioribus seculis ne minima quidem invocatorum sanctorum vestigia apparent. Plerique omnes in ea opinione fuerunt, sanctos clarâ Dei visione, quam invocationis fundamentum faciunt, nondum perfrui. Sequioribus autem seculis, si qui sanctos invocârunt, id fecerunt, nec ex verbi Divini regula, sed potius ex *κακοζηλία*, & imperitia cum cultu Christi miscente Hellenismi reliquias, nec ex publicæ doctrinæ dictamine, vel Ecclesiastica definitione, sed privato iudicio & errore; nec fiducialiter & categoricè, sed hypotheticè & hæsitanter, sub talibus limitationibus, *ut opinor, nî fallor, εἰ τις αἰδοῖσθαι, εἰ τις σοὶ καὶ ἡμετέρων ἐστὶ λόγος, si quis sensus, si qua ratio verborum nostrorum.*

VI. Scripturæ quoque testimonia pro invocatione sanctorum allegata paucis expedimus. Genes. XLVIII. 16. Jacobus non invocavit Angelum fervilem, sed Deum, qui ipsum cunctis è malis eripuisset, ut per Angelum nempe faciei suæ, Christum, benediceret suis, imploravit. Ita explicant Athanasius Orat. 4. contra Arianos, Cyrillus Thesauri ferm. 12. & Glaphyris in h. l. Procopius Gazæus alii. Rationes expositionis notorias attulimus Hist. Patr. tom. 11. Exerc. XXII. SS. 19. Jobi cap. V. 1.
Elipha-

Eliphazus non loquitur de invocatione defunctorum, sed advocat vivos suffragantes, è quibus negat Jobum ullum sanctum secum consentientem producere posse, qui affir-
met Deum innocentes affligere. Unde ipse Mariana Jesuita in notis castigat Bellarmi-
num aliter eum locum interpretantem. Idem XIX. 21. per *עֵרֵי* socios, quorum implorat mi-
sericordiam, non vel Angelos vel sanctos de-
functos intelligit, utpote qui socii familiares
non fuerunt; sed eos, quos olim socios & ami-
cos habuit, quos ad *συνπροσέειαν* graphicè invi-
tat. Et cap. XXXIII. 23. ille *מלאך מליץ אהר*
מני אלה Angelus advocatus unus ex millibus
non est Angelus creatus, sed increatus &
foederis. Prædicata enim ostendunt, qualia
sint subjecta. At prædicata illius Angeli
sunt, misereri, orare liberationem, indica-
re homini rectitudinem, & intercedere cum
ostensione *כפרי* *lytri*, quorum priora in
sensu pleniore, ultimum in sensu tenuio-
re, nedum pleniore non alii, quàm Chri-
sto competunt. Præterea Angelus ille advo-
catus dicitur esse *מליץ* apud eum, nempe
Deum, quod in hac phrasi idem est ac *לפני*
coram, apud faciem. Et *מליץ* Thargum Chal-
daicum disertè reddit *פראקליטא* *ὑποστάτος*
parasletus, advocatus. Propriè notat interpre-
tem. Sed hoc loco interpretem, ut apud Deum
inter-

intercedentem cum ostensione lytri, hoc est mortis & redemptionis suæ, quod soli vero advocato nostro, Christo competit. Denique Exod. XXXII. 13. Moses orans Deum, ut recordetur Abrahami, Isaaci & Jacobi servorum, Deum non oravit per intercessionem sanctorum, cum juxta Pontificios ipsos Patriarchæ hi fuerint in limbo, adeoque ad intercedendum non dispositi. Commemorat personas, quibus promissa erant facta posteris, adeoque populum ejus concernentia; non urget personarum earum merita. Interim observabit Lector, Adversarium nec mandatum, nec promissionem, nec exempla N. T. urgere. Nempe his præfidiis miseri destituuntur, cum reliqua V. T. exempla sint profus aliena, sanctis ne quidem beatifica visione juxta ipsos tum perfruuntibus.

VII. Invocandum esse solum Deum, Dissertatio nostra probat. Hæc Adversarius, invocationi sanctorum ut patrocinetur, notissimo emplastro ulcus suum tegere conatur. Negat sanctos coli ut Deum, ex titulo absoluti alicujus dominii, & astruit eos coli tanquam amicos & servos Dei ex titulo sanctitatis à Deo participata, cum relatione saltem virtuali totius istius cultus in Deum tanquam finem & Dominum, seu causam omnis extra se sanctitatis effectricem; adeoque etiam cultu dulia non lairie. Sed ficulnea hæc folia nuditati prætensa, jam prident

dem à nostris discussa sunt. Ostensum enim sanctos nec ut Deum, nec ut amicos & ser- vos Dei sanctitatem ejus participantem; nec cum relatione virtuali in Deum, invocandos esse, eò quòd cultus ejusmodi mandato & promissione destituatur & in scripturis improbetur. Ostensum, distinctioni huic, quã elabi conantur, refragari publicam Papatùs doctrinam, eò quòd statuat, sanctos esse omniscios, κατὰ θεογνώστους, datores beneficiorum tum corporalium tum spiritualium, rerum humanarum, Ecclesiæ imprimis militantis curatores, præsides & gubernatores, in quibus spes & fiducia collocari possit; qui adorari possint æquè ac Deus, uti ex Psalterio B Mariæ à Sixto IV. & Innocentio VIII. approbato, in quo illa ipsa adoratio, quã David Deum omnipotentem coluit, Deiparæ tribuitur, liquet; quorum non intercessioni duntaxat, sed & meritis confidendum sit; quibus peccata confitenda sint; in quorum nomen jurandum, quibusque Basilicæ erigendæ & Festa celebranda sint; qui denique colendi sint jejuniis, Missis, peregrinationibus, candelis accensis, donariis oblatiis, statuis exornatis, suffitu thuris, vigiliis &c. Quæ omnia, quatenus superstitionem non redolent, soli Deo competere debebant. Ostensum, quæcunque tandem in pulpitis & suggestibus distinctiones sonent, tamen praxin refragari, uti

etiam

etiam cordati in Papatu viri fatentur. Ostensum, rem hanc non ex hominum opinione & tralatitiis distinctionibus, sed Dei scripturæque judicio æstimandam. Sicut enim adulter alienam conjugem violans, sub titulo non conjugis sed amicæ, ab adulterii crimine iccirco non absolvitur: ita nec illi idololatriæ crimine vacant, qui sanctos invocare se dicunt non ut Deum, sed ut amicos & servos Dei; cum interim eos reverâ invocent, & honorem soli Deo proprium iis vindicent.

VIII. Quæ Dissertationis XII. §. 6.7. ad amoliendum cum Samaritanis parallelismum affers, in vindiciis Theologorum Reformatorum solidè discussa sunt. Neque etiam ulterius examen merentur, quæ Dissertio XIII. complectitur, ubi gigas iste sic agit, ac si D. Præposito Badenfi, utpote cui aquâ hauserit in ventilando argumento meo, quo peregrinationes tanquam cum fide ascensionis Christi in cælum ἀουστέρως, oppugnatum ivi, succollare debeat. Quæ autem affert, levia sunt omnia, magnam ejus ἀνελεσίαν arguentia, quæque ex iis, quæ Dissertatione præcedente III. §. 3.4.5. à nobis dicta, sunt planè ἀέλεγκτα. Neque enim asserens, Christum in cælo & throno suo confidentem quærendum non esse magis in hoc quàm alio terrestri loco, vel cultum Dei in terris aboleo, vel Templam nostram popinis, & Templis Turcicis, uti male-

dica & iniquissima tua comparatio sonat, a-
 daquo, sed locorum tantum respectu sancti-
 tatis differentiam, qualis in V. T. obtinuit,
 cum Spiritu Sancto collo. An enim, Redin-
 gi, qui docet, Deum in Spiritu & veritate a-
 dorandum esse, & æquè hic quàm alibi ado-
 rari posse, cultum Dei in terris abolet? Agno-
 scam tum demum, si omnem Dei cultum in
 determinatione loci consistere probaveris.
 Neque enim quia vobis non tam gratiam Dei,
 quàm lucrum vestrum certis locis alliganti-
 bus, ita videtur, iccirco nobis hoc credendum
 est. Tempa sanctificari debere verbo Dei &
 precibus statuimus. Non tamen inde sequi-
 quitur, Christum meritorum suorum effica-
 ciam loco templi cultui Divino consecrati ita
 alligasse, ut oratio non tantum publica sed
 etiam privata in eo obita, præstet ea oratio-
 ne, quæ extra eum locum funditur. Nihil e-
 nim efficaciam vel religionis etiam publicis pre-
 cibus accedit ex loco, sed ex communionè
 Sanctorum. Aliàs sanctitas & religio pende-
 ret ex instituto & arbitrio hominum loca cer-
 ta pro lubitu usui sacro applicantium. Chri-
 stus præsentiam suam non loco promisit, sed
 cætui duorum vel trium in nomine ejus con-
 gregatorum Matth. XVIII. 20. Tolle ex po-
 pina turbam comessantium, ex Mesgida Tur-
 cica turbam infidelium, & substitue utrobi-
 que cætum Sanctorum, Deum in spiritu &
 verita-

veritate adorantium, qui soli proprie sunt habitacula Dei & templa Spiritus Sancti, æque preces utroque in loco Deo placebunt, ejusdem erunt efficaciam, atque illæ, quæ ubicunque terrarum pari ardore funduntur. Non enim locus orationem, sed oratio locum sanctificat. Unde primorum Christianorum sub persecutione æstuantium preces in locis subterraneis, in quibus talparum instar absconditi jacebant, conceptæ, tam Deo gratæ acceptæque fuerunt, quàm quæ postea in augustissimis Basilicis fusæ sunt. Hieronymus in Psal. 133. ait, *tempus se vidisse, quo heretici omnes has Ecclesias possidebant. Ecclesia autem vera erat, inquit, ubi fides erat.*

IX. Tertiæ nunc argumenti vindiciæ sequuntur. Inde mihi illud arcessitum erat, quod scriptura damnet omnem superstitionem; Dedicationses autem Pontificiæ & ritus, quos Christum & sanctos in Sacello hoc imitatos contendunt, utpote mandato Dei non innixi, meræ superstitioni deputari debeant. In hoc argumento meo adversarius primò desiderat formam syllogisticam, & meam Dialecticæ imperitiâ increpat. Sed dic mihi, Decane, qua lege vel Tibi vel aliis obligatus eram, ut in scribenda Dissertatione syllogistam formam affectarem? Si hunc Disputationis Dialecticæ campum ingredi gloriosum mihi vel causæ meæ ducerem, nul-

In negotio demonstrarem ex paucis iis verbis, quibus imperitiam Dialectices mihi objecisti, te quamvis in Sophistica regnantem, pueriliter errasse. Nam quæ assumptionis speciem habebat, eam tu conclusionem facis. Et præterea pluribus quàm tribus terminis me usum nugaris, cum tamen manifestum sit, in verbis meis implicari duos syllogismos, nempe principalem & prosyllogismum. Sed paulisper abstrahendo à forma, libet etiam cum Decano discutere materiam.

X. Dixi, scripturam damnare præcepta & doctrinas hominum. Tu ita exclamas: *Bone Deus! Si hoc sit, actum est de Republica & Ecclesia Tigurina, actum est de omnibus Synodi Tigurinae constitutionibus pag. 137.* Sed salva est per Dei omnipotentis gratiam Respublica Tigurina, salva Ecclesia, salvæ Synodi constitutiones. Confundat Deus semper hostes, qui de ea actum esse cupient. Præcepta, doctrinas intellexi tales, quæ constituunt partem cultûs Divini necessariam. Hæc præcepta ab hominibus fixa titulo superstitionis, ἐθελοθρησκείας, voluntarii cultûs, scriptura damnat. Iis verò constitutiones sive Politicas sive Ecclesiasticas Tigurinae aliarumque Ecclesiarum Evangelicarum adversarius ineptè accenset. Non enim imponuntur tanquam necessaria pars Divini cultûs, sed Politicæ quidem ad tranquillitatem statûs, Ecclesiasticæ verò ad

Eius ordinem & decorum Ecclesiæ, utrique ea
 prudentia & libertate, quæ conducit ad fi-
 nem consequendum. At vos præter Dei ver-
 bum ex imaginaria quadam plenitudine po-
 testatis, introducitis cultus electitios, qui Di-
 vini cultus partem necessariam constituunt,
 perinde ac si ea, quæ fidem, cultum Dei & mo-
 res concernunt, in Dei verbo perfectè tradi-
 ta non essent. Huc pertinent ritus dedicatio-
 num vestrarum. Si liberi forent, si ad ædifi-
 cationem facerent, si Evangelicam simplici-
 tatem saperent, si cultus & religio in iis non
 collocaretur, si ritibus Divinitus præceptis
 non adæquarentur, si superstitione carerent,
 ipsi quoque eos probaremus. *Numquid, ita ex
 me quæris, ad excludendam superstitionis notam
 sufficit, aliquid nisi saltem virtualiter Dei manda-
 to, eoque vel naturali, vel positivo?* Sufficit. Sed
 Dedicatum vestrarum ritus virtualiter re-
 duci posse in mandatum Dei sive naturale sive
 positivum, non meum est ostendere, sed tuum
 probare. Affirmanti enim probationis onus
 incumbit. Constitutiones Ecclesiasticæ legiti-
 mæ, seu determinaciones circumstantiarum
 loci & temporis, ac similium, quæ communia
 sunt religiosorum actuum adjuncta, omnino
 virtualiter reducuntur in Dei præceptum,
 tum quia in genere præcipiuntur sub lege or-
 dinis, decori & ædificationis, tum quia pleræ-
 que earum necessariò sequuntur ex iis, quæ

à Deo expressè sunt constituta. At vestras de consecrandis non aliis, quàm Pontificiis ritibus Templis constitutiones Ecclesiasticas esse tales, ostende. Nos enim negamus, tum quia ritus eos facitis necessariam Divini cultus partem, aded ut & ipse Christus se in Sacello vestro iis subjecerit, tum quia effectus iis supernaturales tribuitis, tum quia generale præceptum tam operosæ consecrationis nusquam occurrit, tum quia superstitionem & Gentilismum pleræque sapiunt, tum denique quia ex plenitudine potestatis eæ à Papa sancitæ sunt. Potestatem determinandi precum formulas, ad quas etiam pertinent preces Templorum nostrorum consecratorix, nec non prohibendi esum sanguinis & suffocati, quâ olim usi Apostoli, frustra urges. Utraque enim illa determinatio non ex motu proprio & plenitudine potestatis, sed ex necessitate tum exprimendorum precationis conceptuum, tum vitandi scandali, quorum utrumque generali mandato nititur, processit. De quo posteriore prolixè etiam à me actum in commentario meo ad Concilium Hierosolymitanum.

XI. Ritus, quibus in Templorum dedicationibus utuntur Episcopi vestri, puriori antiquitati usitatos fuisse, jure negavi. Ostende, si potes, authorem fide dignum, qui in dedicatione Templorum alphabeta utriusque

Lin-

Linguae Græcæ & Latinæ in lineis Diagonalibus ex cinere descripta, lustrationes ædis & interioris & exterioris, ex aqua benedicta, cruces ex oleo, ex chrismate, ex thuris granis, & ex cereis postremo brevibus super altare concinnatas, cœtera denique Latinæ Disciplinæ morosissima mysteria, atque inprimis Litanias atque supplicationes ab omni clero, succinente plebe, recitatas memoret. Sanè Eusebius Templi à Paulino Episcopo apud Tyrum ædificati laudes, opus ipsum singulasque ejus partes, omniaque ornamenta, & quicquid ædi sacrae venerationem conciliare poterat, fusè describit in oratione panegyrica, quam satis prolixam de hoc uno argumento edidit, & historiarum libro decimo cap. 3. inseruit. Ritus ejusmodi, si jam tum in consecrationibus recepti fuissent, quis dubitat, quin fuerit tali in loco narraturus? At ne vestigia quidem ejusmodi rituum apud eum reperire est. Idem de vita Constantini lib. 3. cap. 27 43. pulcherrimam in Christi sepulchro ædem ab illo principe excitatam, tum duo egregia Tempora ab Helena ejus matre Servatori dedicata deprædicat, & miris laudibus extollit. Sed in multis ea de re sermonibus frustra rituum Pontificiorum hodie receptorum mentionem requisiveris. Inprimis Litaniarum, quibus hodie perstrepunt omnia Pontificiorum Templorum encœnia, pro-

fundiffimum ubique silentium. Ad Augustinum me amandat Adversarius. Calvinum, Bullingerum fatentem reum appellat. At illi de consecratorum Templorum ritibus Pontificiis negry quidem. Denique non apud alios vetustos, quàm Paganos Scriptores, Ciceronem, Livium, Suetonium, Tacitum talia dedicationum sacra occurrunt. Fatetur hoc non tantum Baronius Anno 44 Sect. 88. ubi ait, ex Suetonio intelligi posse, *in dedicatione Templorum multa fuisse gentilibus cum pietatis cultoribus similia*; sed etiam Redingius pag. 142. ubi concedit, *ceremonias materialiter similes esse observatas à Gentibus, formam tantum seu intentionem eorundem, ad verum vel ad falsos Deos directivam variare.* Quæ distinctio similitudinis materialis & formalis si recipitur, nihil obstabit, quò minus universi Gentilismi ceremoniæ idololatricæ *materialiter* consideratæ in ecclesiam postliminio reducantur, dummodo *formaliter* consideratæ, hoc est, cum forma seu intentione ad falsum Deum directiva, excludantur. Tam beatæ nimirum sunt distinctiones Scholasticæ, ut earum subsidio cum Anaxagora quidlibet ex quolibet educere liceat. Convitium verò ministerii Sathanici, sub quo se etiam Gentilismus continuerit, ex Lutheri dicto Evangelicis à te procaciter objecti, nihil moramur. Non enim ministerium Sathanicum ex Lutheri, quandoque commotioris

& in-

& infermento jacentis, judicio, sed ex doctrinæ ipsius nota dignoscere debes. Alias etiam fidelibus accidere potest, ut à carnis imperu victi, Sathanæ si non voluntate at cenè opere aliquando ministrent, uti Davidis & Petri exempla fidem faciunt.

XII. At Christum ipsum ritibus ejusmodi, quibus apud vos dedicantur Tempa, se in Sacello vestro subjecisse, probas eo argumento, quodd adhuc viator non tam ex necessitate quam ex autoritate ad Legis Mosaicæ Divinam institutionem probandam, se hujus ritibus ac ceremoniis subjecerit. *Cur ergo, inquis, Christo jam triumphatori non foret potestas, ut talem autoritativam ceremoniarum à sponsa sua ecclesia institutarum approbationem faceret, utendo his ritibus tum per se ipsum, tum per suos ministros Angelos?* At Christi viatoris & triumphatoris non eadem ratio est. Viator ecclesiæ militanti aderat externâ suâ præsentia, adeoque Ecclesiæ ejus leges obire potuit. At triumphator cum adsit Ecclesiæ triumphanti, militantis munia apud militantem, utpote absens, non obit. Deinde subjectio Christi omnem justitiam legis implentis ad statum exinanitionis & servitutis ejus pertinebat, uti docet Paulus Phil. II. 7. 8. 9. At nunc in statu gloriæ non amplius servituti ejusmodi se subjecit. Denique in statu & œconomia servitutis implevit omnem justitiam legis, puta

non ab hominibus, sed à Deo sancitæ, ut eos, qui sub lege erant, sibi emtos liberos faceret, teste Paulo Gal. IV. 5. Annon igitur indignum quid Christo tribuitur, cum in statu gloriæ asseritur se subjecisse non jam legibus Divinis, sed ab hominibus conditis, & quidem gentiliū legibus *materialiter* similibus? Sed hac ratione authoritative approbavit Cere-
monias, Ecclesiæ, sponsæ suæ, inquis. Egre-
giè! Sic ante dedicationem Sacelli vestri au-
thoritatively approbatæ à Christo non fuerint.
Et reliquæ omnes ceremoniæ vestræ à Christo
præsentate non usurpatæ authoritativa appro-
batione carebunt. At non alia approbatio
authoritativa ceremoniarum Ecclesiastica-
rum requiritur, quàm quæ fit à Dei verbo,
ejusque vel generali vel speciali mandato.

XIII. Quòd verò Dissertatione XV. re-
producens discursum septimum de Sacello
Einsidlensi antehac editum, in quo de cere-
moniis à Christo in Sacello vestro usurpatis
quodlibeticè discurre, me animosè provo-
cas, ut eum *Theologicè* non *calumniosè* hoc est,
pro lubitu tuo discutiam; in eo te parum æ-
quum disputatorem prodis. Postulas enim,
ut de τῶ δὲ ἄνθρωπο modo rei gestæ tecum disceptem,
cum de τῶ ὀν & re ipsa gesta nondum inter
nos conveniat. Hoc autem quid aliud esset
quàm ἀεραβολεῖν? Ne tamen ἀσύμβολος disce-
dam, paucis tibi errores in eo discursu abs Te
admissos

admissos ad animum revocabo. Primò Angelum, qui Apoc. VIII. 3. dicitur stetisse ante aram habens thuribulum aureum; explicis cum Doctoribus vestris de *Angelo custode, Altaris ac Templi, missæ sacrificio assistente*. Atqui erras graviter. Angelus enim, qui ibi inducitur, non est ex numero Angelorum servientium, sed Angelus fœderis, Christus, Sacerdos noster, non quidem amplius offerens victimam, sed pro nobis intercedens. Manifestum est enim, illa prædicata, stare ante aram, habere thuribulum aureum, suffitus offerre super altare aureum ante thronum, non alii competere quàm Sacerdoti. At Angelus Sacerdos non est ex numero Angelorum servientium, sed Angelus fœderis, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse victima. Angeli servientes stant circum, non ante thronum. At hic ante non circum thronum, Sacerdotis nimirum adinstar, stetisse dicitur. Secundò Angelos in consecratione Sacelli vestri ferentes thuribula aurea, ais fuisse custodes illius Sacelli, Monasterii Einsidensis, Helvetiæ universæ & finitimarum regionum. Unde verò probas, Regnorum & Provinciarum curam inter tutelares Angelos distributam esse? Sanè id Scriptura, unica credendi regula nusquam declarat. Nam Daniel. X. alia omnia intelligi par est, quàm Angelos custodes Regnorum, uti solidè probatum à nostris. Nec vel tradi-

tio eam in rem habetur sive Divina sive Apostolica, vel universalis Ecclesiæ sententia conciliaris. Si singulæ provinciæ Angelos tutelares habent, quid fiet Regnis, Provinciis inter se hostiliter concurrentibus? An & ipsi boni Angeli adversus se invicem infesta signa ferent? Et quando quæso ejusmodi distributio & à quo facta est? *Tertiò* ais, Angelos illos Monasterii vestri tutelares futuras ibi preces & oblationes in speculo Divinitatis præcognovisse. Sic igitur fuerint omniscii, adeoque ipse Deus. Ejusmodi speculum Divinitatis nusquam scripturæ tradunt. Scholasticæ speculationis fœtus est. *Quarò* ais, Christi animæ esse communicatam virtutem producendi effectus miraculosos. Christum Θεόν & ἄνθρωπον Deum & hominem fuisse subjectum ἐνεργητικόν miraculorum novimus. At anima ejus, seu humanitas in abstracto si insitam virtutem habuit patrandi miracula, quæ infinitæ potentiæ opus sunt, discam ex te, ubi scriptura hoc dicat, & quomodo subjectum finitum capax fuerit infinitæ potentiæ? *Quintò* asseris, Christum solo aquæ Jordanis tactu sanctificasse universum aquæ elementum, ita ut istius ablutio nomine Christi exercita sub forma baptismatis habeat virtutem ex opere operato imprimendi animæ supernaturalem characterem & Divinæ gratiæ sanctificantis formam, cum donis Spiritûs S. & virtutibus
 infusis

infufis conferendi. Unde Thomam laudas,
 ftatuentem, Chrifma ut validum fit ad con-
 firmationem, debere ab Epifcopo confecrari;
 at non aquam baptifmatis, ed quodd ifta, non
 illud Chrifti ufu & contactu fit fanctificatum.
 Ubi quaefo hæc myfteria didicifti? Si aquæ
 contactu Chriftus ita fanctificavit elemen-
 tum aquæ, ut ulteriori consecratione ad effe-
 ctum baptifmi opus non fit, annon igitur e-
 tiam contactus terræ univerfam terram ejus-
 que fructus ita fanctificavit, ut panis & vinum
 in Euchariftia consecratione ulteriori non in-
 digeant? Ostende rationem differentiæ, cur
 Chriftus contactu Jordanis fanctificaverit e-
 lementum aquæ, ut ulterior consecratio ne-
 ceflaria non fit: at non idem præftiterit con-
 tingendo terram ejusque fructus? Reliqua de
 charactere & effectibus ablutionis baptifma-
 tis, à Theologis noftris tanquam ἀρεαφα, ἀν-
 πίρεαφα & ἀλογα paffim refutantur. Sextò ad
 altaris consecrationem neceflariò requiri, ut
 in ea reliquiæ includantur, docentes Duran-
 dum, Silveftrum, Azorium inducis. Et postu-
 lat idem tum Canon 14. Concilii Carthagi-
 nenfis V. tum Canon miffæ, in quo Ecclefia
 orat per merita Sanctorum, *quorum reliquiæ
 funt in altari.* At Chriftum Sacellum veftrum
 confecrantem altari reliquias nullas inclusiffe,
 fateris. Nec juvat, tum quodd verba canonis
 intelligi poffe conditionatè dicis, cum parti-
 cula

cula conditionalis in eo nulla occurrat, & ipse subjicias, Sacerdotem in altari consecrantem non conditionatè sed absolutè orare debere; tum quod ipsum Altare vestrum Christi contactu sanctificatum inter reliquias referri debere contendis, quia contactus solus reliquias propriè dictas non facit.

XIV. Quartum argumentum inde deducit Synodalis Dissertatio, quòd Christus in dedicatione Sacelli dicatur solenne altaris officium, seu missæ sacrificium celebrasse: cum tamen missa seu Theatrica repræsentatio illa mortis Christi nec verbi Divini, nec veteris Ecclesiæ testimonium habeat, nec cum simplicitate Ecclesiæ vel recta ratione conveniat. Hic Adversarius strenuè lacertos movet. Et theatricam quidem illam mortis Christi repræsentationem probat, eò quòd id quod fecit in ultima cœna Christus, jusserit fieri in suâ commemorationem. Jussit omnino. Sed Christum fecisse id, quòd vestri sacrificuli missam celebrantes faciunt, unde probas? Ego non aliud lego, quàm Christum panem & vinum accepisse, ei benedixisse, illum fregisse ac utrunque dedisse discipulis cum præcepto edendi & bibendi, ac quoties id facerent, mortem suam annuntiandi & commemorandi. Quæro igitur, an sacrificuli vestri adstantes altari non aliud quàm hoc ipsum faciant? Non opus est verbis. Rem ipsam authorem habemus, nec
id.

id facere sacrificulum, quod Christus fecit; & plurima facere, quæ Christus non fecit, pugnancia etiam cum iis, quæ Christus fecit.

XV. Sacrificialem verò illam repræsentationem probare conatur ex scriptura, utpote in qua Christus dederit Apostolis, eorumque in Ecclesia Dei successoribus talem potestatem, ut in suam commemorationem mediantibus verbis institutionis facerent actionem, per quam corpus & sanguis Christi esset sub speciebus panis & vini. At actionem istam esse revera sacrificialem probat, tum quia facta erat à Christo tanquam Sacerdote secundum ordinem Melchisedech juxta Prophetiam Davidis Psal. 110. tum quia convenit vera sacrificii definitio: tum quia successit omnibus legis veteris sacrificiis, præsertim agni Paschalis immolationi tanquam figuræ: tum denique, quia hoc ipsum exprimitur illâ Prophetiâ Malach. I. 10. Sed verò, Redingi, in re tanta, quam religionis vestræ arcem habetis, argumenta affers imbecilliora araneorum filis. Primò unde probas, Christum Sacerdotibus dedisse potestatem mediantibus verbis institutionis edendi talem actionem, qua sub speciebus panis & vini corpus & sanguis Christi existat? Nempe, inquis, quia Christus proferendo illa verba: *Hoc est corpus meum, & hic sanguis meus*, hoc ipsum effecit, quod illis verbis significavit. Atqui in explicatione ver-

borum,

borum, *Hoc est corpus meum*, tot in sectas Scho-
 la vestra divisa est, ut non malè nonnemo
 Scholasticos vestros comparaverit cum Sam-
 sonis Vulpeculis, quæ caudis colligatæ, cor-
 poribus distrahebantur, ac maximè capitibus.
 De pronomine *Hoc* sex; de verbo substantivo
est quatuor; de prædicato *corpus* duas opi-
 niones diversas principales, sub quibus pluri-
 mæ minùs principales continentur, enumera-
 re possum. Quin & olim, ut propiùs attingam
 argumentum adversarii, Major in 4. Dist. 8. 9.
unica docuit, verba Sacramentalia non opera-
 ri significando efficientiam suam, sed tanquam
 instrumenta Divina ex pacto agentia, potuif-
 séque Deum efficere, ut prolata hac formâ,
Homo est asinus, super materia panis, ibi inci-
 peret esse corpus Christi. Et quo modo quæ-
 sio verba illa significando efficiunt? Non enim
 Christus dixit: *Hoc fit corpus meum*, quod effi-
 cientiam illam notare posset; sed, *hoc est cor-
 pus meum*. Nam verbum *Est*, ut rectè notat
 de Capite fontium de Necessitat. Correct.
 Theol. Schol. lib. 1. c. 2. *nullam praxin, nullam
 actionem aut passionem, sed solam rei existentiam
 designat*. Quomodo igitur significando efficit?
 Nec valere potest effugium Bellarmini, quo
 etiam Becanus & Perronius utuntur, verba
 esse operatoria, etiamsi non ponatur *est* profiat, quia
 cum Deus qui mentiri non potest, dicit aliquid esse,
 necesse est, ut illud sit, & si antea non fuerit, necesse est

utrum fiat. Nam verum quidem est, necessarium illud esse, quod Deus proprie loquendo affirmat esse: affirmatio enim illa ipsius existentiam præsupponit; at falsissimum est, Deum unquam affirmare proprie, rem aliquam esse, dum nondum est, sed deum fit. Ostende, si potes, simile aliquod exemplum. Nam quæ ex Luc. XIII. & Joh. IV. objiciuntur, primò sunt dissimilia, cum in neutro habeatur verbum substantivum *est*, sed tantum vis aliqua tacita comprehendatur in verbis *ἔστω* & *vivit*; deinde locum habere posset in iis figura Rhetorica, quæ præsens frequenter ponitur pro mox futuro; denique dici potest, Christum verbis illis designare, quod jam fecerat occultâ virtute. Aut igitur verba illa, *hoc enim est corpus meum*, non significant quod efficiunt; aut si significant, quod efficiunt, verbum substantivum EST ponetur pro FIERI, quod ipse Bellarminus aliique fatentur esse corruptionem propriæ significationis hujus verbi, & tropum inauditum omnibus gentibus. Et quid tandem significant verba Sacramentalia? Nempe panem esse corpus Christi. Quale corpus? utique verum corpus, quale Christus habuit, naturale, dimensionibus constans, & quidem fractum, sicut sanguinem extra venas usum. An igitur quod verba illa significant, id iis pronuntiatis efficiunt Sacrificuli? Ostende, verum
 corpus

358.
corpus fractum, verum sanguinem extra ve-
nas effusum. Nec hostia vestra est verum cor-
pus Christi fractum, dimensionibus & natu-
ralibus suis præditam proprietatibus: nec vi-
num verus sanguis extra venas effusus. Imò
corpus Christi gloriosum frangi amplius non
potest, sicut nec effundi sanguis corporiejus
inclusus.

XVI. Vides igitur, in Coena Domini Sa-
cificulos vestros non habere potestatem effi-
ciendi id, quod verba Sacramentalia signifi-
cant, adeoque Sacrificialis hujus repræsen-
tationis fundamentum nullum esse. Quæ ve-
rò argumenta subjungis, ut actionem Eucha-
risticam sacrificialem esse evincas, non mino-
ri infirmitate laborant. Fuit sanè Christus
Eucharistiam administrans Sacerdos secun-
dum ordinem Melchisedeci. At non quâ ta-
lis Sacerdos Eucharistiam ut propriè dictum
Sacrificium instituit, sed ut futuri Sacrificii
commemorationem. Commemoratio autem
tam non est res commemorata, vel idem cum
ea, quàm præsens non est præteritum. Neque
etiã analogia Melchisedecum inter & Chri-
stum consistit in sacrificio panis & vini, tum
quia Melchisedecus non *obtulit*, sed *protulit* pa-
nem, non ad Sacrificandum, sed ad Abrahami
milites reficiendos, ut rectè exponunt locum
Josephum secuti è Pontificiis Cajetanus, An-
dradius & Vatablus; tum quia Paulus Hebr.
VII,

VII. analogiam Melchisedecum inter & Christum exponens, in incruento ejusmodi panis & vini sacrificio eam minimè collocat; tum denique quia Melchisedecus, si maximè sacrificasset panem & vinum, tamen sub speciebus panis & vini non habuit latentem substantiam corpoream, humanam, invisibilem. Pluribus ea de re egi in secundo Tomo Historiæ Patriarcharum *Exercit. II. §. 23.* Eucharistiæ competere Sacrificii definitionem undè probas? Ubi est institutio vel Sacerdotis talis vel Sacrificii? Ubi hostia externa? Ubi mactatio? occisio, effusio sanguinis, dissectio partium? Ubi promissio expiationis? Successit sanè Eucharistia paschati, sed non ut figuratum figuræ. Etenim figuræ non sunt figurarum, quibus accensenda ipsa Eucharistia, figuræ. Celebratio Agni Paschalis figura fuit immolationis Christi & Spiritualis ejus manducationis, non Eucharistiæ. Denique Malach. I. 10. prædicatur Sacrificium *laudis*, puta preces, Eleemosynæ, conversio ad Deum, sermone ad cultum Leviticum, ut aliàs sæpe, accommodato; non *fraudis*, quale in Missa occurrit. Quòd verò Patres plures citas, & te paratum ostendis eorum testimonia ad cujusvis instantiam proferre in medium, facile credo hætenus, si nimirum Bellarminum aliosq; in subsidium adhibueris, & eorum vitulâ araveris. Ubi verò loca illa descripseris, & non

fraudulenter tantum citaveris ; ac imprimis ad responſionem , quam testimoniis à te citatis aliisque perhibuit Edmundus Albertinus in erudito & fuſo opere *de Euchariftia Sacramento*, ad quod te amandatum volo, ſolidi quidpiam exceperis , tum demum fas tibi erit vel me vel alios in hancce arenam provocare. Interea ſufficere poſſunt , quæ eam in rem à me dicta in vindiciis Theologorum Reformatorum, §. 10.

XVII. Quis fuerit Ataides, Regis Luſitaniæ Theologus, qui in Tridentina Synodo efficaciſſime negavit, Sacrificium Miſſæ ex Scripturis probari poſſe, quia ignoras, diſcere potes ex *Historia Concilii Suave Polani* lib. VI. pag. m. 496. cujuſea de re orationem in congregatione ſeſſionis XXII. habitam die 24. Julii, fuſè recitat. Noli igitur putare, Georgium hunc Ataidem eſſe fictitium, hoc ſolo argumento, quòd in Catalogo Theologorum, qui Concilio intererant, non enumeretur. Diſtinguere enim debebas inter Catalogos Brixie & Ripæ excuſos, & eos, qui poſt eam Ataidæ orationem habitam ſunt excuſi. Illi eum diſertè recensent. Hi non item, quia poſt orationem eam habitam Legatis Pontificiis inviſus, Tridento diſceſſerat. Ea nimirum Concilii libertas erat, ut tutò in eo commorari non liceret niſi iis, qui ad nutum Papæ obligeſcerent. Sed ſi tantam vim pono in testi-

nio unius Theologi Synodo illi præsentis, quanta authoritas erit universi Concilii corporis & sanguinis Christi oblationem definientis? Ita inserte festivè Redingius. At ego in testimonio illius nullam vim posui, sed confessionem laudavi. Quanta verò authoritas apud fideles esse debeat Tridentini Concilii, alibi demonstratum est à nostris. Ita non sequitur, Synedrii seu Concilii illius Hierosolymitani adversus Apostolos coacti authoritatem suspiciendam fuisse, eò quòd Gamaliel in eo sententiam æquam pronuntiavit. Et tamen qui aderant in Concilio Hierosolymitano, ἐπειθοῦσιν αὐτῶν assensu sunt ei Gamalieli Act. V. 40. Tridentinis contra Lusitanum illum Theologum persequentibus.

XVIII. Id verò admirationem omnem superat, quòd Christum in Sacello Einsidlen- si missam celebrantem, semet ipsum tanquam Sacerdotem offerentem produxisse, & sub speciebus panis & vini productum manducasse pertenditur. Atque ita non tantum Christus habuerit simul tres existendi modos diversissimos in cælo ni mirum virtualiter, in Sacello visibiliter, & sub hostia in Sacello consecrato invisibiliter: Sed etiam Christus simul existens & in cælo, & in Sacello visibiliter se ipsum primò produxerit, deinde sub accidentibus panis & vini latentem invisibiliter manducaverit. Hoc mysterium cum proprium sit

Sacello Einsidlensi, mirum est, Scholasticos novum Theologiæ suæ de consecratione Sacelli *Einsidlensis* titulum hæctenus non formasse, ut maximâ ingeniorum suorum perspicaciâ rei adedò incredibili, adedò à ratione omni abhorrenti fidem nonnullam conciliare anniterentur. Primus, quod sciam, Redingius noster arcana hæc nobis referat. Ait enim *Dissert. XVII. §. 3.* difficultates illas non esse peculiare mysterio intra Einsidlense Sacellum peracto, sed ex Evangelii constare, Christum in Sacramenti Eucharistiæ institutione effecisse panis in corpus & vini in sanguinem suum conversionem. Imò in quotidiano missæ Sacrificio Christum esse principalem offerentem non eâ solùm ratione, quòd Sacerdos hanc oblationem conficiat in persona & nomine ejus, sed Physicè concurrat humanitas ejus ad transsubstantiationem. Unde infert, vel non repugnare aliquid esse sui ipsius causam juxta Suarezium; vel actionem conversionis non importare productionem termini ad quem, & ex mente Cardinalis de Lugo transsubstantiationis Eucharisticæ terminum esse corporis & sanguinis Christi substantiam, non quâ productam, sed quâ unitam accidentibus panis & vini, quæ unio consistat in actione sustentativa, quam corpus & sanguis Christi in species Sacramentales exercet in genere causæ efficientis supplendo concursum, quem

quem si adesset panis materia, tanquam sustentationis subjectum, & forma mediante causalitate efficiente in accidentia sibi propria præstaret. Sed responsio ad has argutias facilis est. Primò enim difficultas à memota est omnino peculiaris mysterio Einsidensis Dedicacionis. In communi enim missa vestra duplex tantum: at in Sacelli vestri dedicacione triplex efficiendi seu existendi Corporis Christi modus occurrit. Deinde idem per idem probas, cum mysterium hoc Christi in Sacello vestro se ipsum producentis demonstras non tantum ex prima cœna, in qua Christum ais effecisse panis in corpus, & vini in sanguinem suum conversionem: sed etiam ex quotidiana missa, in qua Christus utpote principaliter offerens, se ipsum producat, & ipsa humanitas *physicè* concurrat ad conversionem panis. Hoc tam falsum est, quàm falsissimum illud. Christus enim non in prima cœna, sed in cruce se, nempe uno modo & visibiliter in oculis crucifigentium existentem obtulit. Et in quotidiana Eucharistia iussit nos Sacramento corporis & sanguinis sui identidem repetito oblationis semel in cruce factæ memoriam Sacrosanctam agitare. Præterea duo illi modi, quibus effici possit, ut corpus Christi sub accidentibus panis & vini existat, sunt absurditatum pleni. Priorem Suarezii explicationem de iterata productione sui i-

pfius , per quam non repugnet aliquid esse
 sui ipsius caussam ; *ineptam & omnino falsam*
 vocat ipse Gregorius de Valentia *Tom. IV. edit.*
paris pag. 1051. 1052. & refutat Mæratius &
 de Lugo , cujus etiam sententiam potius
 quam Suarezii amplectitur Adversarius. E-
 tenim quicquid producitur in tempore, ante-
 quam produceretur, actu non erat. At cor-
 pus Christi antequam produceretur, seu an-
 te consecrationem, actu erat. Non ergo per
 eam producitur vel produci potest. Hic te,
 Redingi, præsta Philosophum, & ostende, ali-
 quid actu esse posse, antea quam producat.
 At Philosophi uno ore omnes, tum Ethnici,
 tum Christiani, tum Orthodoxi, tum hæreti-
 ci pronuntiant contrarium. Et ipsum produ-
 ctionis vocabulum hoc evincit. Est enim pro-
 ductio quædam adductio à non esse ad esse.
 Et de ratione productionis est, ut per eam
 producens det & communicet effectui esse.
 Quomodo autem dabit esse ei rei, quæ jam
 ante esse habebat? Præterea de ratione pro-
 ductionis est, ut sit prior naturâ, quàm res
 producta. At quomodo erit prior natura re,
 quæ tempore etiam fuit ante illam, quale est
 corpus Domini ante transsubstantiationem?
 Sed quid multis? Non aliter sententiam suam
 tueri Suarezii potuit, quàm asserendo, pos-
 se aliquid esse sui ipsius caussam. Quod negat
 Athanasius contra Arianos Orat. 3.

ΔΥΝΑΤΟΝ
 ΕΙΝΑΙ

εἶναι possibile esse. τῶν γὰρ, inquit, γινομένων ἔδεν εἶναι ποιητικὸν αἴτιον, *Eorum, quæ sunt, nullum est sui causa efficiens.* Imò absurdissimum illud effectum evertit præcipua fundamenta, quæ secundum sanam Philosophiam & Theologiam sunt immota basis variarum assertionum, veluti, quòd inter causam & effectum sit distinctio realis: quòd omne id, quod movetur, ab alio moveatur: quòd nihil secundum idem sit in potentia & actu: si aliquid sit, quòd oporteat esse aliquid aliud, quòd sit ejus causa: quòd procedendum non sit in infinitum, sed deveniendum sit ad aliquam causam primam: quòd id quod verè generatur, ab aliquo alio distincto generetur, quo argumento distinctio personarum adversus hæreticos probatur. Sic igitur hi homines, qui in scientia Philosophica palmarium decus & gloriæ suæ chorgium ponunt, ipsi immota Philosophiæ principia destruere conantur.

XIX. Jam nec altera sententia Cardinalis de Lugo, quam Adversarius noster sectatur, paulò speciosior est. Imò eam latè refutant Cadmæi fratres, Suarez, *Disput. 55. Sect. 4.* Vasquez *Disput. 181. c. 3.* Ysambertus *ad quest. 75. Disp. 8. art. 3.* Argumenta eorum in pauca contraham. Primò ludicra, ajuunt, est substitutio, quam de Lugo facit actionis unitivæ loco vel productionis vel adductionis. Nulla enim

actio potest esse vel constitutiva vel unitiva alicujus subjecti in loco, in quo ante non erat, nisi aut per ipsius in eum adductionem ex loco in quo ante erat, aut per ipsius in loco eo productionem. Deinde actio unitiva corporis Christi cum accidentibus panis necessario supponit aut illius sub his productionem, aut adductionem. Quoties enim res aliqua unitur alteri in loco, in quo prius non erat, oportet ut ibi fiat denuo & producat, vel aliunde adducatur. Unio enim præsupponit existentiam uniendorum naturâ saltem, si non etiam tempore: quia actio unitiva ut sic illam non facit. Tertiò, ratio unitiva est omnino distincta ab actione conversiva, quia in illa priori extrema manent salva & integra quoad suam entitatem, & membra unienda supponuntur ibi existere, ubi sibi invicem ununtur: in posteriori verò unum omnino desinit esse, & alterum non supponitur ibi entitative existere, sed acquirit esse, uti patet in omni genere conversionum. Atqui Transsubstantiatio est actio conversiva, uti ipsum Tridentinum Concilium desinit. Quartò Transsubstantiationis terminus formalis ad quem, sicut & terminus à quo, debet esse substantialis. Sicut enim transformatio denotat transitum ab una forma in aliam: ita transsubstantiatio transitum unius substantiæ in aliam. Atqui modus ille ab Adversariis suppositus est merè acciden-

accidentalis , ut ipsimet fatentur. Quintò Corpus Christi formaliter non potest uniri cum speciebus panis in ratione contenti substantialis. Aliàs accidentia illi inhærent, cum nulla alia sit intrinseca unio subjecti cum forma accidentali , quàm per inhærentiam. Dicere enim cum Adversario nostro , unionem hanc consistere in actione sustentativa, quam corpus & sanguis Christi in species Sacramentales exercent in genere causæ efficientis supplendo concurrentum ; planè absurdum est. Substantia enim accidentibus uniri non potest nisi per modum subjecti & causæ materialis, cui illa inhæreant. Causalitates etiam causarum utpote oppositæ confundi non debent. Quod etiam ex eo patet, quod volunt , Corpus Christi subesse illis accidentibus in ratione contenti substantialis. Nihil enim propriè & Philosophicè loquendo potest dici contineri sub aliquibus accidentibus *in ratione præcisa contenti substantialis*, quod non illorum subjectum sit. Etenim si Deus v. g. conservaret materialia quædam accidentia modo extensivo extra quodlibet subjectum inhætionis, & in illis includeret aliquam substantiam longè aliam à propria illorum substantia , tum hæc substantia non diceretur contineri sub istis accidentibus per modum substantiæ , quia hæc accidentia haberent semerè per accidens ad illam in ratione conten-

ti substantialis. Sextò denique secundum hanc sententiam transsubstantiatio non terminatur immediatè ad corpus & sanguinem Christi, sed ad prædictum modum unionis. Cùm tamen Concilium Tridentinum dicat Sess. XIII. 4. *Fieri conversionem totius substantia panis in substantiam corporis Domini, & vini in substantiam sanguinis ejus.*

XX. Cùm igitur corpus Christi in Eucharistia nec producat, nec uniat accidentibus panis & vini, & solos duos hosce modos, ut probabiles Adversarius delegerit, patet sanè, illud in Cœna Domini sub speciebus panis & vini non existere. Sed ponamus jam, alterutro modo existere, manet tamen immota & intacta vis argumenti mei. Quomodo enim Christus se ipsum extra se vel producere, vel unire accidentibus panis & vini potuit? Nam qui aliquid extra se vel producit vel unit ab eo quod vel producit vel unit, separatus, adeoque realiter distinctus sit oportet. Frustra Christum vel produci vel uniri duntaxat statuis, nisi quomodo ipse se ipsum vel producat vel uniat extra se loco discretum, nos simul pro acumine tuo Philosophico edoces.

XXI. Sed in Sacello Einsidlenfi Christum se ipsum quoque manducasse, probas eo argumento, quòd in prima quoque Cœna ipsum Eucha-

Eucharistiam manducasse, asseverent Chryso-
 stomus & Hieronymus. Nos Chryso-
 stomo & Hieronymo in eo controversiam non mo-
 vebimus, quamvis vetustiores Scholastici, uti
 Thomas Aquinas & Bonaventura indicant,
 moverint. Manducaverit Christus Eucharis-
 tiam, at non manducavit se ipsum, corpus
 suum extra se positum & loco discretum. Pe-
 tit igitur τὸ ἐν ἀρχῇ; proinde supervacanea
 est explicatio modi, quo Christus se ipsum
 manducare potuerit. Ait nempe, *ex illa man-
 ducatione non esse factam nutritionem, vel quanti-
 tatis Eucharistica ad Christi corpus accretionem &
 augmentationem: attamen calorem corporis Christi
 agendo in species Sacramentales ita dissolvit quali-
 tatum temperamentum, ut nova formae substantia-
 lis introductâ dispositione in Eucharisticam quanti-
 tatem, sub hac desineret existere corpus Christi. Deus-
 que tanquam Author naturae sub illa produceret
 materiam primam, ex qua agens creatum educeret
 naturaliter formam substantialem*, pag. 168. 169.
 Verum hic ipse modus potius, quomodo non
 manducaverit Christus se ipsum, quàm quo-
 modo manducaverit docet. Deinde in vera &
 propriè dicta manducatione corporis natura-
 lis necessariò ponenda est nutritio, tanquam
 illius finis & effectus. Ubi igitur nutritio ejus-
 modi locum non habet, vera comestio & man-
 ducatio corporis naturalis non est. Omnes
 fatentur, manducationem in Eucharistia in
 specie

specie propositam habere aliquam nutritionem. Quod autem quis in ea manducat, eo nutritur. Cum igitur Christum suum corpus manducasse dicatis, necessum est, ut suo quoque corpore nutritum esse dicatis. Tertio quid egerit calor corporis Christi in species Sacramentales, unde quaeso didicisti? Tam temerè hæc extra Scripturam pronuntiatis, ac si ipsi fuissetis *à J. M. A.* Quarto quicquid manducatur, post manducationem destruitur & dissolvitur, inprimis si Sacrificium & hostia fieri debeat. At corpus Christi dissolvi & destrui nec in prima coena, nec in sequentibus potuit. Dicis dissolvi species Sacramentales & qualitatatum temperamentum. Esto. Corpus igitur Christi manet salvum, neque unquam destruitur. Quomodo igitur etiam ipsum manducatur? quomodo fit hostia, Sacrificium, cum omne Sacrificium destrui debeat? An enim consumtis alienis accidentibus, propterea quòd sub iis latet salvum & illibatum, verè destrui dici potest? Hoc perinde est, ac si diceres, hominem destrui, qui exuit tunicam. Quinto denique unde probas, desinente sub speciebus Sacramentalibus corpore, Deum authorem naturæ sub Eucharistica quantitate producere materiam primam, ex qua agens creatum educat naturaliter formam substantialem? Ipse Thomas Aquinas *quest. 77. art. 6.* hoc refutat eo argumento,

quòd

quòd non rationabiliter videatur dici, quòd miraculose aliquid accidat in Sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non sit ut materia creetur vel redeat. Addo ego & aliud. Materia ea creatur, vel ante corrupta accidentia, vel post. Si prius, simul erunt & materia illa creata, & accidentia panis & vini, & materia ac forma corporis ac sanguinis Christi. Id autem esset gratis multiplicare miracula. Si posterius, materia ea creatur aliquibus accidentibus affecta, vel nullis. Si nullis, denuo fingetur miraculum, cum materiam esse sine magnitudine impossibile judicet Philosophus de Generat & corrupt. lib. 1. cap. 5. & adversarii ipsi concedant, saltem naturaliter id fieri non posse. Si aliquibus, tum in eodem loco per novum miraculum erunt duæ magnitudines, cum accidentia priora licet corrupta, tamen annihilata non sint: adeoque etiam materia ea erit duplo major, quàm antea.

XXII. Ex Cyrillo Alexandrino probavi, idem sui ipsius esse particeps non posse: adeoque nec Christum sui ipsius corporis per ejus manducationem esse participem potuisse. Verba Cyrilli occurrunt Dialogo 5. & 6. de Trinitate. *Μέτοχον ἑαυτοῦ παντελῶς ἔδεν.* Nihil omnino sui ipsius particeps est. Quam regulam suo contra hæreticos instituto is applicat, nos nostro. Sed quod sancto Patri & omnibus
ratio.

ratione utentibus visum planè absurdum & horrendum, id Philosophus noster distinctionum suarum præstigiis probabile efficere conatur. Ait enim, *ex ipsis terminis implicare, aliquid esse sui ipsius particeps secundum identitatem, vel etiam secundum informationem substantialem: attamen quoad motus accidentarios eatenus posse aliquid esse sui particeps, ut anima agat in se ipsam secundum motus vitales. Cur non igitur, inquit, secundum illum statum, quem corpus Christi habet sub speciebus Eucharisticis, eatenus possit manducari & participari à Christo, ut non transiret in ejus substantiam, sed speciebus Eucharisticis resolutis, sub illis desineret esse corpus Christi, inciperetque sub quantitate Eucharistica nova materia per aliam formam substantialem informanda,* pag. 174. 175. Sic igitur Christus esse sui particeps potuit haud equidem *secundum identitatem, seu informationem substantialem, sed secundum participationem motus accidentarii* O vos Milesiarum conditores, vel potius *φλυαρογενεφους!* Quis non vestram illam & rerum & sermonis barbariem horreat! Si causæ vestræ confidentis, cur non ita loquimini, ut sensa animi vestri cuilibet etiam sine Oedipo & Delio natatore pateant? Mysteria enim fidei non sunt abstrudenda sub terminorum cothurnis & involucris, sed quàm fieri potest, simplicissimè & clarissimè proponenda. Sed ad rem. Concedis, nihil esse sui ipsius particeps secundum *participatio-*

icipationem identitatis. Ego autem, cum in rudimentis Philosophiæ tempus tererem, didici, identitatem esse convenientiam quandam in ipsa essentia seu substantia. Sic enim habet Philosophus Metaph. lib. V. cap. 9. *Quorum materia una est, aut que sunt unum specie vel numero, hæc law-ti eadem dicuntur: & quorum substantia una.* Porro dicitis, Christum eundem numero, qui mensæ assidebat, vel in Sacello vestro missam celebrabat, manducasse sui corporis substantiam, adeoque eam substantiam, quæ numero conveniebat cum substantia Christi visibiliter præsentis. Ergo Christus idem numero particeps factus est sui corporis, secum ipso convenientis. Annon igitur sui particeps factus est *secundum identitatem*, qualem participationem fateris ex ipsis terminis implicare? Vel substantia corporis Christi latebat sub accidentibus panis ab ipso Christo manducati, vel non. Si posterius, actum est de mysterio transsubstantiationis. Si prius, Christus eam unà cum speciebus manducavit, adeoque sui ipsius secundum identitatem factus est particeps. Nec refert, transiveritne corpus Christi in ejus substantiam, an speciebus Eucharisticis resolutis sub illis esse desierit. Ad hoc enim, ut Christus sui ipsius particeps dicatur secundum identitatem, sufficit, ut ipse idem numero suum ipsius idem numero corpus sub speciebus Eucharisticis latens sumpserit, ori
in-

ingesserit & in stomachum trajecerit. Quomodo verò id dicatur manducari, quod sub alienæ substantiæ speciebus latens saluum & integrum, non corrumpitur, sed resolutis speciebus simpliciter esse desinit, hoc ipsum etiã optem ab Adversario doceri. Fateor enim, me hæc Scholæ novitia mysteria non capere. Simile porro desumptum ab anima secundum motus vitales in se ipsam agente, planè est dissimile. Non enim quicquid in se ipsum certo respectu agit, sui ipsius particeps dicitur. Sic corpus per partes agit in se ipsum, anima quoque tum respectu potentiarum virtualiter distinctarum, tum respectu actuum immanentium. Ubi idem eodem loco positum propter diversitatem vel partium vel potentiarum vel actuum diverso respectu esse potest & agens & patiens. At Christi corpus non eodem, sed diverso loco positum, non simpliciter in se ipsum agere respectu diversarum partium, sed sui ipsius secundum universam corporis substantiam per oralem manducationem particeps fieri statuis.

XXIII. Si Christus se ipsum in Sacello Einsidlensi comedit, idem igitur fuisse cibum & cibo utentem, agens & patiens, comedens & comestum, causam & causatum colligo. Exclamat Redingius: *O insignem Philosophum! numquid anima Christi à corpore resoluta propriâ suâ virtute descendit ad inferos? Numquid propriâ vir-*

tute descendit ad inferos? Numquid humanitas Christi propria virtute ascendit in cœlum & redibit eadem virtute ad iudicandum vivos & mortuos? Anne igitur idem agens & patiens, idem caussa & caussatum; & quid non? Responde ad ista, & tunc ubi te probabis Philosophum,agam tecum ex solidis Philosophiæ principis, pag. 175. 176. Bona verba, Decane. Haftenus igitur nil ferè nisi philosophatus, non egisse te tamen mecum ex solidis Philosophiæ principis fateris. Concedo. Tua enim Philosophemata qualia sunt, posse aliquid esse sui ipsius caussam, posse accidentia à proprio subiecto separata ab alieno sustentari per modum caussæ efficientis, posse aliquid producere seipsum, & sui per mäducationem esse particeps, aliâque ejusmodi, quæ si tyronibus nostris exciderent, scuticam potius, quàm lauream eorum capiti inconciliarent; hæc, inquam, satis produnt, te ad eò Philosophum non esse, ut potius sub larva Philosophi sobriæ Philosophiæ principia concutias. Ita hoc ipso loco agis planè ἀφιλοσόφως, imò & ἀθεολόγως. Primò enim, quæ similitudo est inter Christum eundem cibum & cibo utentem, comestum & comedentem: & animam propria virtute descendentem ad inferos, & inde se denuo corpori reunientem? Cur non potius adhibes similitudinem corporis alicujus se ipsum se ipso toto comesto nutrientis? Hoc enim quadraret rectius. Secundò ubi legis,

animam, localiter nempe, descendisse ad inferos? Scripturæ contra testantur, animam Christi post mortem ejus fuisse in manu Patris & Paradyso. Tertio unde probas, animam propriâ virtute se reunivisse corpori, adeoque illud resuscitasse? Ego Scripturæ fidem habeo, quæ opus illud utpote infinitæ potentia, transcribit simpliciter Deo, Act. II. 24. 32. Rom. I. 3. 4. VIII. 11. Quarto animam surrexisse tertia die, ex qua vel Philosophia vel Theologia hausisti? Etenim id surrexit, quod cecidit. Anima autem non cecidit, sed corpus. Quinto ascensum in cœlum, & ex eo reditum Scriptura non animæ, sed Christo, Personæ *Jeανδρωτου* tribuit.

XXIV. Cæterum cum te in certamen Philosophicum totum prurire videam, rogatum te velim, ut Philosophiæ tuæ subsidio sequentes antilogias, quæ ex missa vestra ortæ jam diu nos sollicitos habuerunt, in nostrî gratiam conciliare digneris. In missa corpus Christi fractum, & sanguis fusus juxta institutionem, adest in mensa, illud integrum & ilibatum, hic in membris & venis inclusus. Christus corpore suo sedens in cœlo ad dextram Dei, est in terra sub accidentibus panis & vini. Corpus visibile, palpabile, simile nostro, cui nos assimilabimur, in Cœlos translatum, adest invisibile, impalpabile, terrestribus mixtum, nostro dissimile. Corpus quantitate,

te, dimensionibus, figura præditum, adest sine
 quantitate, dimensionibus, figura. Corpus
 quod Spiritus non est, adest ut Spiritus.
 Quod circumscriptivè & commensurativè in
 loco est, adest sine circumscriptione, sine com-
 mensuratione. Quod naturaliter uno loco
 continetur, adest unum pluribus in locis.
 Quod semel Deo Patri oblatum est per ma-
 ctationem & sanguinis effusionem, eadem ob-
 latione offertur modo incruento & sine ma-
 ctatione. Quod sacrificari non potest, nisi de-
 structum, sacrificatur non destructum, sed sal-
 vum & integrum sub alienis accidentibus,
 destructis illis nihil nisi desinens ibi esse. Quod
 sacrificatum destrui debuit in altari, nunc sa-
 crificatum in stomacho sacrificuli non destrui-
 tur ipsum, sed resolutis speciebus desinit ibi
 esse. Quod semel oblatum est, ut omnis ob-
 latio cessaret, id offertur millies eadem obla-
 tione mille temporibus; adeo ut non tantum
 loci mille non disparent idem corpus, sed ne
 mille quidem anni disparent unam eandemq;
 actionem, nec vita & mors, nec sanguinis ef-
 fusio & concomitantia, nec terrestre sub lege
 positum & cœleste legi non amplius subdi-
 tum unum idemque sacrificium distinguant.
 Quod oblatum consummat, id ipsum non
 consummat eos nisi supplemento meritorum
 & satisfactionum alienarum. Quod habuit
 eam virtutem, ut peccata electorum fidelium

expiaret inde ab initio mundi, id solutum in tempore non prodest nisi millies milliésque idem sine repetitione repetatur. Qui se ipsum obtulit ad expianda multorum peccata, is jam ab eo offertur, pro quo se obtulit, ut auferantur peccata jam semel ablata. Idem ille qui accumbebat mensæ, suum corpus trajecit in proprium stomachum, & totum suum corpus in una corporis sui particula inclusum habuit. Idem numero & indivisus bis in se fuit, & bis corpus suum habuit, & duplex fuit, & intra se ac extra se simul fuit, & caput in stomacho habuit.

DISSERTATIO OCTAVA.

Quâ argumentum pro Divina Sacelli consecratione à Papæ Leonis VII. approbatione & miraculorum suffragiis petitum, disceptatur.

BREVIARIUM.

Bulla Leonis VIII. § de veia. 1. Papæ in rebus facti confessa fallibilitas bullis ejusmodi auctoritatem detrahit. Adversarii exceptio solvitur. Papam & in rebus facti, & juris, etiam quâ publicum Doctorem errori obnoxium esse ostenditur. An ruto credatur Bullis, si maxime in facto falsitas subesset? Jacobi circa Leam error innoxius assertioni

tioni huic non patrociniatur. 2. Distinctio anno-
 rum Pontificatus Leonis non expedit cornutum
 dilemma. 3. Vindicantur responsiones ad argu-
 mentum à miraculis petiitum. 4—19. Fabulose
 vulpecule improprium retorquetur. 4. Augu-
 stini de miraculis Protasii & Gervasii narratio
 Pontificiis miraculis non favet. 5. De miracu-
 lorum Eremitanorum Scriptoribus iudicium.
 6. Redingius cum Betscharto committitur. 7. Re-
 spondetur ad objectum instrumentum, Tigurino-
 rum etiam & Bernensium Sigillo munitum 8. An
 iure reus peragar duplicis in Helvetiam Catho-
 lolicam convitii? 9. Comparantur miracula,
 que Adversarii jactant, cum iis, que Pseudo-
 Prophetis & Antichristo scriptura tribuit. 10. Re-
 gulam discernendorum miraculorum non habent
 Adversarii: at fidei sue regula neutiquam Or-
 thodoxi destituuntur. Castigatur Adversarii ve-
 rustas nobis hereses impingentis malignitas.
 11. Quam regulam habuerint Iudei miraculo-
 rum Christi discernendorum? 12. Miracula
 quosensu infidelibus data pronunciet Apostolus?
 13. Voti à majoribus nostris de frequentando Sa-
 cello nuncupari invaliditas. An sanctis vota
 nuncupari possint? 14. An miraculorum Ere-
 mitanorum explorandorum provincia mihi impo-
 ni possit? 15. Christi celestia, quod extat
 Matth. XXIV. 23. &c. presenti instituto ap-
 plicatum vindicatur. 16. Questiones aliquot
 acute Adversarii, quibus me adigere conatur

*ad aliam Christi in locis sacris, nec non Sacello
& hostia agnoscendam presentiam, quam quæ
à Salvatore in loco allegato traducitur, obtun-
duntur. 17. Quæ & qualis apparitio Christi eo
in loco intelligatur? 18. Colophon tractationi
imponitur 19—20.*

I. **R**eliquum est, ut nostras ad argumen-
ta pro Divina Sacelli Einsidlenfis con-
secratione à Pontificia approbatione
& miraculorum suffragiis petita, perhibitas
responsiones paucis vindicemus. Faciunt au-
tem huc in primis ea, quæ prima Dissertatio-
ne de Bulla Leonis à nobis dicta sunt, quæ
hic repetere operæ pretium haud duco. Sed
& pleraque ea, quæ Adversarius Dissertatio-
ne XIX. complexus est, in Vindiciis Theolo-
gorum Reformatorum à nobis ad partes vo-
cata sunt.

II. Secundò Papam errare posse in rebus
facti, fatentur plerique Adversarii. Ad hoc
autem ut non fallatur, requirunt, ut maturè
procedat, adhibitis mediis ordinariis, quæ in-
ter sunt piæ ad Deum preces, & seriæ cum ho-
minibus, in primis Cardinalibus consultatio-
nes. Hinc proclive mihi collectu fuit, Ponti-
ficiam approbationem Divinæ consecrationis
certitudinem & ἀληθοφρέϊαν, qualis hic exig-
tur, gignere non posse. Etenim si Pontifex
Leo

Leo approbans cœlestem Dedicacionem, in ea quaestione meri facti errare, si decipi, nisi mature procederet, potuit, unde constat tot millibus illuc peregrinantibus, eum mature processisse, adhibitis piis precibus, aliisque mediis, adeoque non errasse, non deceptum esse? Si autem certò hoc non constat, incerti utique dubiique semper hærent, contigeritne cœlestis ea dedicatio necne. Quòd si ea de re dubii sunt, cultus ille, qui impenditur, religiosus, fide destituitur. Quicquid autem sine fide est, peccatum esse Apostolus pronuntiat Rom. XIV. Sed non obstante hac in facto fallibilitate Leonis, Adversarius pertendit, tum tutò credi Bullis Pontificiis, licet in facto particulari aliquando falsitas aliqua subesset: tum in approbatione consecrationis errorem facti timendum non esse. Prius probat eo argumento, quia *cum Papa ut Papa ad universalem Ecclesiam loquens in iis que sunt juris, ut sic fidem & honestatem moralem concernentia, errare non possit: idcirco errore etiam materiali interveniente sub ejus constitutionibus & approbationibus publicis semper subsit honestas infidelium actus morales specificativè derivans bonitatem moralem* Exemplum affert Jacobi Patriarchæ, qui per errorem facti circa Leam non sit coinquinatus ulla malitia morali, eò quòd *formalitas matrimonii sub illo errore speculativè quidem & materialiter falsè, at practicè & secundum rationem prudentia-*

lem formaliter verè representata, in illum Patriarchæ actum derivaverit honestatem moralem p. 182. 183. Sed merum κρησφύγετον hoc esse, probant sequentia. Primò enim Papam loquentem ad universalem Ecclesiam in iis, quæ sunt juris, errare non posse, æquè, imò magis controversum est, quam illud. Eum Errare posse & errasse in rebus etiam fidei & juris, non nostri duntaxat, sed nobiles etiam Papistæ ante nos docuere, puta Æneas Sylvius, Panormitanus, Nicolaus Cusanus, Guilelmus Occam, Gerson, Albertus M. Joh. de Turrecremata, Antoninus, Petrus de Alliaco, Joh. Arboreus & mille alii. Quin ipse Papa Adrianus VI. lib. 4. *sentent. de Sacramento Confirmat. art. 3.* ita loquitur: *Si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quòd possit errare in his, quæ tangunt fidem, heresin per suam DETERMINATIONEM aut DECRETALEM* (ne de privato doctore eum loqui quis putet) *asseverando.* Eadem fuit sententia Concilii Constantiensis & Basileensis, ab ipsis Papis Martino V. Nicolao V. & aliis approbata; nec non tum Sorbonæ, tum Curia Parisiensis, quæ ante annos septem Jesuitarum theses pe infallibilitate Papæ Collegio Claramontano affixas damnavit. Nec juvat, quòd Adversarius distinguit inter Papam, prout ad universalem Ecclesiam loquitur, vel ad eam non loquitur; seu, ut alii distinguunt, Doctorem

rem publicum & privatum in cathedra & extra eam definientem. Etenim, ut Tostati Abulensis Episcopi verba in 1. Reg. pag 147. mea faciam, *persona est eadem numero Gregorius & ut Papa & ut non Papa, & ideo equalis sapientia est utroque modo, sed non equalis potestatis, quia Papatus potestatem addit. Potestas autem est ad aliquid iubendum, non ad aliquid verius dicendum.* Imò Papa ad totam Ecclesiam loquens tanquam fidei iudex etiam tum cum verum loquitur, graviter errat, quia dogma aliquod definiens simul hoc definit, se esse iudicem fidei, & hoc Divina fide credendum esse pronuntiat. Et quis negabit, toties Papas loquentes ad totam Ecclesiam errasse, quoties in suis decretis, decretalibus, aut aliis publicis scriptis ac rescriptis vel aliquam partem Scripturæ malè interpretati sunt, vel dogma Scripturis adversum definierunt. Utrunque autem sæpissimè factum esse nostri probârunt, & prius ne ipsi quidem Adversarii abnuere possunt. Unde Melchior Canus fatetur l. 5. c. 6. *nonnullas Decretales à posterioribus meliore consilio refutatas esse.* Secundò ipsam fallibilitatem facti arguere fallibilitatem in jure Jesuitæ infallibilitatis tum *juris*, tum *facti* assertores, non immerito urgent. Gravius enim est errare in *jure* quàm in *facto*. Et quis non videt, positâ fallibilitate in facto vacillare auctoritatem decisionum illius in quæstionibus juris? Consistunt enim

illæ in applicanda Scriptura vel traditione, ut volunt, ad capita, quæ in controversiam veniunt. Atqui illa applicatio est facti, in quo semper igitur dubitare licebit, rectène vel secus processerit. Ita fueritne Ignatius Lojola, Xavierus, Borromæus, aliique novissimæ editionis Divi verè viri sancti & pii, est quæstio facti. In hac quæstione sierravit Papa, quis non videt, in præsentissimum idololatriæ periculum præcipites dari, quotquot ipsos adorant. Imò potest Papa totam Ecclesiam à se pendente inducere ad idololatriæ peccatum. Quia enim universa *ἡ ἀποθέωσις* seu canonizatio sanctorum pendet ex facto & facti testimoniis vel informatione, potest Papa homines non sanctos, sed reprobos & damnatos illo honore afficere, ut religiosè ab omnibus colantur. quod etiam Cajetanus *tract. de indulgentiis* agnoscit. Hoc autem quid est aliud, quàm inducere populum ad colenda idola? Idem in approbatione Pontificia religiosorum ordinum & reliquiarum ac Divinarum visionum ejusmodi & dedicationum, quæ religiosi alicujus cultûs fundamentum sunt, usu venire potest. Tertio ait Adversarius, tutò semper credi bullis Pontificiis, *licet in facto particulari subesset aliqua falsitas*. Sed quid si Bulla Pontificiæ subit vel notoria falsitas, vel certè periculum falsitatis non in particulari duntaxat facto, sed in ejusmodi facto, in quo

quo Bullæ sententia seu decretum fundatur, adeoque non in *circumstantia* sed in ipsa *substantia* facti? Et quidem tali in substantia facti, cui subnixum decretum existit fundamentum religiosi cultus? Hic enim casus noster est. An putas etiam, hanc falsitatem seu errorem, uti vocas materialem & talem quidem, ut prudens aliquis & circumspectus eum vitare possit, in ipsum religiosum cultum derivare honestatem & bonitatem moralem? Etenim agitur de Divina Sacelli vestri consecratione. Si in substantia facti illius accidit error materialis, hoc est, si ex mala informatione Divinam visionem fuisse pronuntiavit Leo, quæ Divina non fuit: utique Christus non consecravit Sacellum, adeoque Sacellum, altare, imago B. Virginis planè consecrata, dedicata non est. Quomodo igitur is, cui vel comperta est ejusmodi falsitas, vel dubia saltem genericè ob Pontificiam approbationem errori obnoxiam, veritas, cum certâ fiduciâ in Sacello ejusmodi cultum Deo & B. Virgini præstare poterit? Jacobi Patriarchæ à Labane Leam supponente decepti exemplum parum idoneum est. Etenim error in persona purgabat facinus, at in illud honestatem moralem non derivabat. Deinde rectitudo actus ipsius non nitebatur alieno judicio, & tali quidem, quod propter insitam fallibilitatem explo-

explorari debuerit. At rectitudo cultûs hujus nititur alieno judicio, Papæ nimirum in rebus facti errori obnoxii. Præterea error Jacobi erat involuntarius & invincibilis, uti loquuntur. Nulla enim ipsi ratio dubitandi obiciebatur, an Lea potius esset quam Rachel concubina. At hîc alienum judicium errori obnoxium si non erroris agnitionem, at perpetuam dubitationem relinquit; quæ una ad impediendam actionem sufficit, tum quia dubitatio cum fide pugnat, quicquid autem est sine fide, peccatum est: tum quia sic agens non abhorret à peccato, utpote qui sciens volens periculo peccandi se exponit. Sicut igitur contra legem amicitix agit is, qui id ultro facit, de quo dubitat, sitne amico gratum necne: ita contra legem charitatis in Deum agit is, qui id agit, de quo dubitat, an Deo gratum sit necne. Quodd porro Adversarius negat circa consecrationis Sacelli approbationem aliquem facti errorem timendum esse, eò quodd suspicionem abstulerit tum legitimè probata attestatio vocis Cœlestis coram summo Pontifice, tum fidelium ultra septingentos annos continuata traditio; ex iis quæ superius à nobis dicta sunt, facili negotio solvitur.

III. Quæ de Leone VIII. Papa dubio proposuit ex Baronio Synodalis Dissertatio, ut vel uno eo argumento dubiam redderet Bullam approbatoriam, ea Redingius expedire

cona-

conatur distinguendo annos quibus Pontificatum gessit. Nempe Leonem anno 964. electum, obiisse diem anno 964. Etsi igitur argumenta Baronii videantur evincere, Leonem VIII. non fuisse verum Pontificem, quousque anno scilicet 964. mense Majo Johannes XIII. erat defunctus: attamen à die mortis hujus nihil impedivisse, quò minus constitueretur legitimus Pontifex. Unde in Catalogo Romæ excuso unicus cum mensibus aliquot assignetur annus Pontificatus ipsius, cujus initium petatur An. 964. quando Johannes XIII. jam erat defunctus. Porro ex Bulla Leonina constare, anno 964. quarto Idus Novembris esse à Leone decretam Divinæ Sacelli Einsidlenfis consecrationis approbationem. Quo quidem tempore ipsum Pontificem fuisse legitimum vel inde liquere, quò nefas sit credere duos sanctitate conspicuos Conradum & Huldricum Augustanum, cum primariis Italiæ & Germaniæ Archiepiscopis ac Episcopis affuturos fuisse Consistorio Antipapæ. Sed quicquid moveas, Redingi, nihil promoves. Etenim Leo VIII. si verus & legitimus Papa fuit, necessum est Papa factus sit vel per legitimam & Canonicam electionem, vel sine legitima electione. Si prius Johanni in adulterio deprehenso & confosso successit Leo vi vel præteritæ electionis factæ, annitente Imperatore Ottone in Synodo Romana,

Romana, vel novæ. Si vi *præterita*, manent igitur inconcussa argumenta mea, manet immotum cornutum, quod opposui, dilemma. Si vi *novæ* electionis, unde novam aliquam intercessisse probabis? Etenim satis constat, post mortem Johannis Benedictum V. in seditione creatum Pontificem à Clero & populo: Ottonem autem, qui tum Spoleti agitabat, electionem Benedicti iniquè ferentem, Romam cum exercitu petiisse, arcta eam obsidione cinxisse, & coactos Romanos portas aperuisse, Benedictum dedidisse, & Leonem recepisse. At novam hâc intercessisse electionem, nemo historicorum prodidit. Si successit *sine ulla electione*, poterit igitur verus esse Papa, qui ad Papatum nunquam electus est. At Paulus negat, prædicare posse non missum, seu ritè non electum. Et gratia, quam Papa habere dicitur, ab electione suspenditur. Sed *duo Sancti Antistites*, inquis, *reliquique Archiepiscopi ac Episcopi inviserunt Papam, adeoque eum pro vero Papa habuerunt.* Sed quid tum postea? Certitudo Papalis non pendet ab acceptatione Ecclesiæ, vel quorundam in ea Pastorum: sed à legitima & canonica electione. Si igitur canonicè electus non fuit, studia ea & favor Ottonis ac Episcoporum eum comiter colentium parùm proderunt. Et si hoc argumento probari potest, verum fuisse Pontificem, multò probabilius argui poterit,
jam

jam ante mortem Johannis, cum ab Ottone & tot Archiepiscopis ac Episcopis in Synodo Romana coactis maximo in eum propendente favore eligeretur, verum Papam fuisse, quod ipsum etiam Redingius, cornutum meum dilemma reveritus, affirmare non est ausus.

IV. Alterum à miraculis petitum argumentum fusè disceptatum est Dissert. III. Baldingero opposita. Nonnulla etiam eò spectantia in vindiciis Theologorum Reformatorum delibata. Prosequemur igitur deinceps ea duntaxat, quorum attingendorum ibi occasio oblata non erat. Primò irascitur mihi Adversarius, quòd miraculorum Pontificiorum mangonium oppugnare non dubitavi. *Quàm astute, inquit, Doctor hic Tigurinus agit illam fabulosam vulpeculam, quæ cum ornamento caudæ esset destituta, cæteris quoque vulpibus persuadere conata est, ut caudam deponerent, p. 188.* Sic igitur me cum *fabulosa vulpecula*, te tuique similes cum *vulpibus* bellè comparas. Si *fabulosam vulpeculam* vocas, quæ vulpecula non est, sed per fabulam seu potiùs calumniam talis dicitur, non magnopere increpabo convitium. Hoc mihi sufficit, quòd Te tuique similes non cum *vulpecula*, sed cum *vulpibus* comparas, adeoque Te vulpem esse, nempe id quod res est, asserendo, fateris. Perpetua videlicet sophismata tua non vulpeculam Te, sed vulpem

pem manifestè produnt. Meum autem erit, quod hæctenus feci, juxta Sapientis monitum Cantic. II. 18. *prehendere, hoc est convincere, constringere vulpes, quæ vineam Domini vastant.* Cœterum cum vera vulpecula non sim, sed tuo judicio fabulosa, caudæ ornamento non indigeo. Tibi tuique similibus *vulpibus* id relinquo. Sed memineris, ejusmodi miraculorum à te jactatorum caudam ornare vulpes tantum, hoc est, mangones & Sophistas, non genuinas Christi oves, quæ post Evangelium Christi miraculis confirmatum & propagatum, solam Christi vocem audiunt, eamque omnibus aliis illecebris potiore & antiquiore habent.

V. Quæ Augustini de miraculis sententiâ fuerit, Dissertatione III. § adversus Præpositum ostendimus. Fateor ipsum miracula nonnulla ad corpora Gervasii & Protasii patrata recensere *Confess. lib. IX. 2.* Nempe cum ante annum 387. ne nomina quidem Protasii & Gervasii cuiquam innotescerent, & revelationes ejusmodi ac translationes reliquiarum hæctenus planè insolentes essent, primus Ambrosius Divinâ revelatione præeunte didicisse fertur, ubi Mediolani eorum corpora sepulta essent, qui & utrunque inde statim refoffum in Ambrosianam Basilicam magnâ pompâ, cui se Augustinus interfuisse ipse testatur, & ingentibus miraculis magnificè
trans.

transtulit. Hæc ita gesta esse credimus. Neque tamen Augustinum miraculorum man-
 gonibus adnumero. Ejus enim de miraculis
 sententia alibi prolixè à nobis recensita, Pon-
 tificiis miraculis aded non favet, ut potius ve-
 hementer repugnet. Deinde non eadem tem-
 porum Augustini, quæ nostrorum ratio. Cir-
 ca ea nempe tempora miraculorum donum
 nondum planè exspiraverat. Præterea singu-
 larem ob causam tum revelationem illorum
 corporum, tum miracula in eorum translatio-
 ne contigisse, ipse S. Pater indicat. Ait enim,
 Deum Sancta illa corpora per tot annos in-
 corrupta in thesauro secreti sui recondidisse,
unde opportunè promeret adcoercendam rabiem fæ-
mineam, sed regiam. Nempe persecutionem A-
 rianam, à Justina Imperatrice præcipuè exci-
 tatam, Deus hisce prodigiis sufflaminare vo-
 luit. Unde subjicit Augustinus: *Inde illius ini-*
mice animus etsi ad credendi sanitatem non appli-
citus, à persequendi tamen furore compressus est. De-
 nique nec religiosum cultum vel Augusti-
 num vel Ambrosium inventis hisce Marty-
 rum corporibus impertiisse quisquam prodi-
 dit, quod contra vos maximè facit. Reliqua
 de Calvino, Zwinglio, Melanchtone alibi dis-
 cussa hic præteribimus.

VI. De miraculis Eremitanis testes nobis
 laudas præter Myllerum à me citatum, P.
 Paulum Bethschartum in *Diva Thaumaturga,*
 Bb nec

nec non P. Conradum Hunger *in Chronico Einsidlenfi*. Addis insuper, ostendi posse plura antiquissima instrumenta à summis Pontificibus aliisque Prælatiis authentizata, in quibus perhibeatur testimonium de Divæ vestræ miraculis. Et ad extremum meorum quoque Majorum auctoritatem prætexens, citas & in fine totidem verbis repræsentas publicum instrumentum civitatum Tigurinæ ac Bernensis, & reliquorum Cantonum sigillis anno 1466. munitum, quo clarè asseratur, *Sacellum Einsidlense ab ipsomet Deo seu Christo consecratum esse*. Inspeci, quos citas authores. Pauca veri nominis miracula, in plerisque verò fallaciam causæ reperio: & quæ veri nominis miracula videntur, in ea non levis suspicio cadit. Sanè vel primum illud nobili Alsatæ factum, quo *an aliàs aut alibi etiam majus patrum sit quodquam*, se nescire profitetur P. Beschart, tale mihi videtur, quale Tiguri ante duos annos editum vulgârunt novellæ Colonienses. Congruit ei non una in circumstantia. Ibi caput à trunco rescissum locutum est: hîc saltavit. Nec paulò excellentius illud, quàm istud fuerit. Verùm sicut Cardinalis Bessarion observans sui temporis homines, quos nauci fuisse probè noverat, in Divorum numerum adscribi, dixisse fertur, *novitios illos Divos facere, ut suspectos habeat veteres*: ita novitia vestra miracula, & imprimis illud, quod
Tiguri

Tiguri accidisse novellæ mentitæ sunt, vetera illa meritò suspecta nobis reddunt. Quod si tamen idoneis & exceptione majoribus omni documentis probari posset, tale quid accidisse nobili Alsatæ, locutum nimirum esse caput à trunco abscissum, & Sacerdoti peccata confessum esse, nondum id divinitus contigisse fidem habebimus. Novimus enim, locutum esse etiam serpentem. Novimus ex Philostrato, quid Apollonio Thyanaeo contigerit. Novimus divina permissione multa fieri in iudicium eorum, qui veritatem non credunt, sed eam in injustitiâ detinent, quorum Deus auctor *αἰετός*, uti vera miracula requirunt, non statim agnosci debet. Quæ de visu Sebastiani Mayer filiolo trimestri Anno 1641. Curiaë Rhetorum restituto jactas ex Conrado Hunger, probationem tuam postulant. Nam ii, qui Curiaë degunt, & Anno 1641. jam viri fuerunt, ac per gratiam Dei superstites adhuc sunt, anquisiti ea de re constanter & unanimiter hoc sibi inauditum esse affirmant. Quia miratur etiam & indignatur tota Rhetia, suspensam cerni, uti oculati testes narant, in Sacello vestro tabulam de restituto nuper admodum Susannæ Locumtenentis Colonelli Ardüseri Corvantiani viduæ visu, quam tamen visum nunquam recepisse, quin cæcam adhuc & stipem emendicantem circumduci in omnium est pro patulo. Sunt igitur

tur, qui non immeritò prudentiam vestram desiderent, quòd quæ conspectui omnium exposita sunt, non exactius ponderetis. Sed faciamus, omnia, quæ authores vestri recitant, & vera & verè gesta miracula esse. Opponemus ea, quæ Dissert. III. §. 22. Baldingero fusè objecta repetere hic nihil attinet.

VII. Commitendus hîc est Redingius noster cum suo Betscharto. Dixeram antehac, Myllerum ne unum quidem ex tribus prioribus, quibus miraculis hanc Divam inclaruisse fertur Seculis asserere potuisse. Atq; id ipsum conjecturâ mihi præbuit, serò satis increbuisse Divinam dedicationem Sacelli. Respondet Adversarius primò, leve & in Dialectica reprobatum argumentandi genus esse, petitum ex conjectura, quæ sola autoritate negativa nititur. Quasi videlicet vestri in gratiam credere teneamur, quod idoneis argumentis non probatis. Deinde addit, *insuper ostendi posse plura antiquissima instrumenta à summis Pontificibus aliisque Prelatis ac personis publicis authentizata, in quibus perhibeatur testimonium de miraculis.* At P. Betschartus ingenuè fatetur proloquio ad Lectorem, sub finem; inde ab initio sacratæ ædis Divina eaque frequentia emicuisse miracula, *sed quæ vel minùs consignata, vel monumentis antiquis per crebra incendia absumtis è memoria hominum exciderint.* Nempe vel bonum illum patrem, etsi ejusdem Asceterii religio-

religiosum , antiquissima illa instrumenta à summis Pontificibus , aliisque Prælatiſ authenticata , in quibus de miraculis antiquioribus testimonium perhibetur , latuerunt ; vel Redingius fingendi genio indulſit.

VIII. Cessare etiam , Redingi , poteras nobis publicum illud instrumentum Majorum nostrorum , etiam Tigurinorum & Bernensium sigillo munitum , quo Sacellum à Deo consecratum dicitur , oggerere. Non enim eadem quæ vel fecerunt , vel senserunt majores , obligant posteros. Alioquin Josua strenuus ille Israelitarum dux , nunquam majorum suorum , qui trans fluvium habitârunt , & idolis litârunt , exuere idololatriam potuisset. Neque integrum fuisset Majoribus & tuis & meis remotioribus paganismo nuntium mittere. Deinde cum & hoc , quo gloriaris , instrumentum sit recentius , puta seculo demum decimo quinto consignatum , & reliqua omnia , exceptâ dubiâ illâ Leonis Bullâ & Conradi libro Apocrypho , haud multò antiquiora sint , denuo auges suspicionem nostram , famam de consecrato Sacello vestro recentiore longè esse , quàm præfertis.

IX. Miracula Pontificia trahi in patrocinium doctrinæ falsæ , puta invocationis Sanctorum & Mariolatriæ , jure dixi. Sed non eodem jure tu me arguis duplicis adversus Helvetiam Catholicam convitii reum , eò

quodd & doctrinam de invocatione sanctorum nuncupo falsam, & Divæ virginilatriam à vobis exhiberi innuo. Etenim Helvetiam Catholicam habeo consentientem. Invocationem verò sanctorum verbo Divino repugnare superius probavimus. Et B. Virgini latriam vos exhibere res ipsa clamat, licet veram latriam vos titulo hyperdulix palliare & incrustare satagatis. Dixi quod res est, non quod pigmenta & colores vestri, quos nequicquam obducitis, postulant. Neque enim res ea æstimari debet ex tralatitiarum ejusmodi distinctionum sculneis foliis, sed ex publicæ doctrinæ dictamine & praxi, quæ satis arguit honorem soli Deo competentem in B. Virginem transferri. Præterea religiosus hyperdulix cultus tantum non major est latriæ cultu. Plus enim est fervire & mancipari alicui, quàm eî simpliciter religiosum cultum impendere.

X. Posteriorum temporum miracula Antichristo & Pseudoprophetis S. Scripturam vindicare, ex Matth. XXIV. 24 2. Theff. II. 9. Apoc. XIII. 13. 18. liquet. Hæc loca agere non de quibuslibet signis & prodigiis, sed de iis duntaxat, quæ fiunt *in finem seductionis & deceptionis*, adeoque non de veris miraculis aut more Deo editis, sed de falsis à Diabolo patris, talibus nimirum, *quales sunt in virtute demonis, medianibus causis, naturalibus applican-*
do

do activa passivis potentis effectus extraordinarios, in ipsis tamen causarum naturalium viribus contentos, ait adversarius p. 195. & 196. Nec ego magno opere huic explicationi intercedam. Possunt enim miracula posteriorum temporum juxta Apostolum vocari *τέργετα ψεύδους prodigia mendacia*, tum ratione formæ, tum ratione finis. Ratione *formæ* quia erunt vel meræ præstigiæ & illusiones, vel prodigia quidem vera, ingentia, sed quæ alio tamen quàm Deo Authore edi queant, adeóq; sub obtentu Divinæ virtutis fucum facient. Ratione *finis*, quia tendent ad inducendos homines in errorem & mendacium. Talia nempe erunt posteriorum temporum miracula. Talia sunt, quæ à longo jam tempore jactavit & adhuc dum jactat mundus. At veram Ecclesiam postremis temporibus miracula edituram, nullæ prophetiæ, nulla Scriptura canonica testis est.

XI. Neque etiam habere Pontificem certam verorum miraculorum à falsis discernendorum regulam, probatum ivit Synodalis Dissertatio. Adversarius primò obliquè respondet, & calumniarum suarum spicula in Ecclesiam Tigurinam vibrat, quam negat habere veram doctrinæ Orthodoxæ discernendæ regulam, utpote veterum hæreticorum, Donatistarum, Arianorum, Pelagianorum, Aërii, Manichæorum, Vigilantii, aliorum consortem. Poteramus putidas Monachi hujus ca-

lumnias longo, eoque verissimo sermone con-
 vellere, simulque in Papatu intento digito de-
 monstrare corniculam illam Horatianam,
 quæ veterum hæresiarcharum plumis tecta
 gloriatur. Quia verò non tantum ea disce-
 ptatio extra instituti nostri metas posita est,
 sed etiam ad finem hujus disputationis, &
 contrahenda vela, animus & calamus festi-
 nat, & eam ipsam provinciam ante me occu-
 pârunt viri doctissimi, in primis Cl. Rivetus
proæmio de hæresibus, & doctissimus Luthardus
 Bernensis nuper Theologus in *Parallelis Evan-
 gelicis* adversus Jesuitam Harscherum editis;
 idcirco prolixiori apologia supersedemus, &
 ad laudatos authores Adversarium amanda-
 mus. Interea cum Paulo, omnibusque adeo
 fidelibus, *constanter propositum nobis stadium de-
 currentes, fidei nostræ ducem ac perfectorem*, nul-
 lum alium præter JESUM intuentes, *secundum
 illam viam, quam hæresin dicunt novi Pharisæi,
 ita serviemus patrio Deo, ut credamus omnibus, quæ
 in lege & Prophetis, nec non Evangeliiis & A-
 postolicis libris scripta sunt* Hebr. XII. 2. Act.
 XXIV. 2. Quæ regula fidei longè certissima
 nos in æternum non destituet, cum reliquæ
 omnes fidei regulæ & Canones, utpote lubri-
 cæ & incertæ sectatores suos in anceps &
 brevia deducturæ sint.

XII. Certam autem verorum miraculo-
 rum à falsis hodie discernendorum regulam
 non

non habere Pontificios probavi, quia ea regula foret vel iudicium solorum sensuum, vel signa in patransente conspicua, vel Scriptura, vel Papa. At nihil ex his omnibus favere demonstro. Frustra autem Adversarius miracula Christi objicit, quæ sensuum iudicio & operum ipsorum evidentiâ à Judæis discerni debuerint. At immane esse discrimen Christi inter & Pontificia miracula, superius fusè ostendimus. Deinde ex solo sensuum iudicio miracula Christi Divina esse non cognoverunt Judæi, sed imprimis evidentiâ operum, subsidio rationis Divinitus illuminatæ apprehensâ, & sociato cum illis cœlestis doctrinæ testimonio. Etenim si miracula Christi doctrinæ Mosis testimonium non perhibuissent, utique tentatio fuissent, non subsidium fidei. Ipsa igitur opera Christi, consona doctrinæ Mosis, patransentis Divinitatis indicium certissimum præbuerunt. Unde verba Christi Joh. X. 37. 38. *Si mihi non creditis, operibus credite;* non ita interpretanda sunt, quasi sola opera, sine *verbis Dei*, quæ Christum loqui oportebat, esse potuerint: sed quòd ipsa in se habeant demonstrationem, quòd is qui eo tempore tanta & talia faceret, & simul verba Dei loqueretur, esset filius Dei & ὁ μάρτυς ὁ πρῶτος, *fidelis ille testis*, qui audiendus erat. Non enim Deus voluit tentari Israellem illo tempore per opera tanta, sed illa voluit esse argumenta

& testimonia Salvatoris, juxta loca differtissima Deuter. XVIII. 15. 18. Esaj. VIII. 18. Zach. XII. 9. At Pontificia miracula nec tale quicquam juxta divinam prædictionem demonstrant, nec insitam ejusmodi evidentiam habent, nec cœlesti doctrinæ consonant. Illa ipsa, quæ ex Conrado Hunger, Bethscharto produxit pag. 203. &c. Adversarius, talia sunt, ut non minora vel pagani olim jactaverint, vel Pseudoprophetis & Antichristo Spiritus Dei tribuat.

XII. Miracula data esse infidelibus, docet Paulus 1. Cor. XVI. 22. Si igitur Divina miracula hodiè que patrat Diva Eremitana, cur apud eos duntaxat, qui fidelium axioma soli superbiunt? Cur non apud nos, quos hæreticorum & infidelium in censum referunt? Eri vobis est dicere, miracula data esse fidelibus, hoc est, Papistis *active*, at infidelibus, hoc est, Tigurinis aliisque, uti convitium vestrum habet, hæreticis, *passive*. Scilicet tam in promptu vobis est nos in prædicamentum passionis compingere, quàm canibus exta comedere. Sed si vobis, fidelibus scilicet, miracula data sunt *active*, nobis infidelibus *passive*, cur officio vestro tam segniter defungimini? Cur dono hoc præditi ad nos non acceditis, & inspectantibus nobis miracula non talia editis, quæ comòdè explorari, adeòq; lucem & ætatem

tem simul ferre valeant? Etenim sic demum Christum & Apostolos imitari dabitur, qui non inter amicos duntaxat, sed in primis inter eos, qui sermonem eorum non receperunt, miraculorum suorum virtutem confidenti animo exercuerunt.

XIV. Cur votum à majoribus nostris nuncupatum, quo se Deo obstrinxerunt ad frequentandam Deiparam Einsidlensem, à summa potestate post tempora Reformationis legitimè rescissum, exsolvere cessaverimus, causam diximus Dissert. III. Sanè & ab eo toto pectore abhorremus, quòd vota nuncupantur sanctis, quæ Deo soli nuncupanda esse Dissert. IV. §. 8. Baldingero opposita probavimus. Quam maculam minimè abstergere potest levis distinctio Adversarii, asseverantis, non deferri votum sanctis *intransitivè* sed *transitivè*, ita ut per ipsos repræsententur Deo, tanquam illi, cui principaliter & ultimè ferantur. Sic enim *transitivè* creaturis sacrificia, omnesque latriæ actus per speciem honoris Divini & cultus transitivi exhiberi possent. Interim etiam Cajetanus *in Thoma. 2.2. q. 88. art. 5.* fatetur, eadem ratione apud Pontificios fieri votum Deo ac sanctis. *Sanctis* inquit, *vovemus absolutè, sicut Deo, Prelatis autem non.* Quod ex ordinis sui regula probat, *in qua,* inquit, *manifestè sanctos contra homines distinguimus, ponentes illos, ex parte Dei, ac vovemus*
Deo.

Deo, B. Maria; Dominico ac omnibus sanctis, quòd
erimus obediētes pralato nostro. Ratio ipsi est,
quia sunt dii participativè. Quà eādē ratione
etiam Bellarminus utitur.

XV. Quòd verò me iterum iterumque
provocat Adversarius, ut ostendam, vel unum
prodigiosum opus esse in Einsidalensi Monasterio re-
ceptum & ratificatum ac divulgatum, quod non
legitimè examinatum ac probatum, omnisque adeò
fraudis expers extiterit; in eo quoque suam
πανεργίαν manifestè propalat. Nam affirmanti
incumbit probatio. Vestrum igitur esset pro-
bare nobis vera & legitima esse miracula. Id
non præstatis hæctenus. Non sufficit enim di-
cere, probata esse, nisi probatio vestra publi-
cam in notitiam perveniat. Noveras deinde,
si hanc provinciam suscipere velim exploran-
di ea, quæ ostentantur miracula, mihi nego-
tium datum iri longissimi, ut ajunt, subse-
lli, nimirum cursitandi ad vos non sine peri-
culo meo, & apud vos parùm competentes
judices vel arbitros, inquirendi in eos, qui-
bus miracula facta dicuntur, & miraculorum
factorum testes, ac denique ipsos Pontifices
Romanos eorum approbatores, atque hos
omnes sive defunctos jam, qui hunc in finem
resuscitandi essent, sive superstites. Hoc po-
tius soli citandus eram, ut vel unū ostendam,
quod non veri nominis miraculum haberi de-
beat. Ita nullo negotio ostendissem, plera-
que

que talia esse, ut verè prodigiosum iis nihil insit, reliqua verò talia, ut à suspitione immunia non sint. Ego verò æquiore longè conditionem feram, ut nimirum vos, quibus miracula *active* data sunt, veniatis ad nos, quibus ea data sunt *passive*, & nobis coràm vim thaumaturgicam exerceatis, adeoque præsentis virtute vestrà nos vel flectatis, vel ulciscamini. Ita proclivius erit de miraculis vestris iudicium. Interea nobis abundè est, tum quòd omnia miracula postremorum temporum, adeoque etiam vestra, in sacra Scriptura infamià quadam notata videmus: tum quòd nullum non vestrorum miraculorum ejusmodi sit, quin ad unum trium eorum generum, quæ recitavimus, commodè referri possit: tum denique quòd Pseudopropheta talia miracula tribuit scriptura, quibus ipsi electi, si fieri posset seducerentur, quod postremum arguit, tanta ea prodigia futura, ut ipsi electi eorum fallaciam non satis sint extricaturi, adeoque eorum laqueis capiendi & irretiendi, nisi τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, æternum & immobile electionis Divinæ propositum ac decretum vehementissimæ huic tentationi obsteret. Aurem nobis vellicant illa Tertulliani *lib. de Præscript. cap. 44.* ubi sic erroris patronos loquentes inducit, iisque respondet: *Adijcient præterea multa de auctoritate ejusque Doctoris hæretici, illos maxime doctrinæ*
sua

suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, ut maximè Apostoli crederentur, quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ predicationis.

XVI. Coronidem exornavit Synodalis Disputatio fidelissimo Christi celeulmate, quod extat Matth XXIV. 23—27. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus, aut hic, ne credite. Excitabuntur enim Pseudo-Christi & Pseudopropheta, & edent signa magna & miracula, ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce praxi vobis. Itaque si dixerint vobis: Ecce in Eremo est, ne egredimini, ecce in conclavibus ne credite. Hæc Christi fidelissima sententia nudè à me recitata est Adversario, quod ajunt, ἀληθῶν τῶν οφθαλμῶν, *sudes in oculis.* Primò queritur, me ut fucum facerem, loco vocis in deserto supposuisse in eremo. Verùm si textum Græcum, siquidem ejus gnarus es, inspexeris, reperies verba ἐν ἐρήμῳ, quæ commodè transtulisti in eremo. Nam quid sit *eremus* tam notum est Latinè loquentibus, quàm quid sit *desertum*, aded quidem, ut Monachi in deserto degentes *Eremita*, & Annales Monasterii vestri *Annales Heremi* à Christophoro Hartmanno insigniantur. Malui igitur retinere vocem Græcam, etiam Latinè loquentibus notam, ut planius sit, quò Spiritus S. digitum intendant.

XVII. Dein-

XVII. Deinde quaestiones acutas mihi opponit, quas paucis discutere expediet. *Quaero, inquit, ex ipso, an possit intra suum conclave vel in deserto sive in eremo adorare Christum in spiritu & veritate? Affirmo. Si affirmet, cur succenset Pontificiis, quod Christum adorent in Eremito? Non succenseo iis, quod Christum adorant in eremo, sed quod in eremo fingunt locum à Christo consecratum: quod peregrinos eò alliciunt, quasi extra eremum non in quolibet conclavi vel templo eadem efficaciam Christus adorari posset: quod hoc faciunt quaestus occipiendi gratiam: quod locum eum sacrationem reliquis fingunt: quod adorant ibi potius sanctos, quam Christum: quod peregrinantes ad ipsos lactant spe indulgentiae, satisfactionis, meriti. Rursus quaero ex ipso, inquis, annon quando in Ecclesia Tigurina sumit Coenam Domini, tunc sentiat Christi fidem in se magis excitatam, atque adeò magis in spiritu & veritate adoret, quam dum in cubilibus nescio quae agit? Si neget, timeo sanè ne totus ipsius spiritus resolvatur in concupiscentiam carnis. Ego ex verbo Dei didici, tantam esse efficaciam precum mearum, quas in conclavi meo arden-
ter fundo, quanta foret earum, quas, siquidem necessum esset, in loco publico cultui Divino destinato solus privatúsque funde-
rem: adeoque loci sanctitatem vel majorem vel minorem ad efficaciam precum nihil omnino*

mnino conferre. Deinde ex eodem Dei ver-
 bo didici, Synagogam seu congregationem
 fidelium non esse deserendam Hebr. X. 25.
 idque ob plurimos earum & præstantissimos
 fructus, quales sunt consensus in eandem fi-
 dem, & cum expressa, tum tacita confœdera-
 tio ad Deum colendum uno humero, conjun-
 ctæ preces, communis gratiarum actio, exem-
 pla piorum ante oculos versantia, mutuus
παροξυσμός seu admonitio & exstimulatio. Si-
 cut enim multa ligna vel cremia in unum sug-
 gesta atque succensa, flammam vehementem
 ac validam emittunt: ita multorum fidelium
 in unum coactorum vox & unanime votum,
 sive deprecationis ea fuerit, sive gratiarum
 actionis, sive luctûs, sive lætitiæ, potentius
 sanctissimas Dei aures ferit, & majori vi cœ-
 lestis sacrarii fores pulsatur ac reserat, quàm sin-
 gulorum fidelium, per se, seorsimque precan-
 tium. Differentia proinde efficaciam privata-
 rum & publicarum precum, non pendet à san-
 ctitate loci, sed à sanctitate cœtus hominum
 pio ardore Deum in vota una vocantium.
 Ut igitur paucis Tibi respondeam, fateor pri-
 mò, me in publico cœtu fidelium sive precan-
 tem sive Sacramenta participantem magis ex-
 citari & ad pietatem inflammari, quàm dum
 privatim ea pietate defungor, etsi nec priva-
 tis precibus efficacia deest. Secundò eam ef-
 ficaciam precum differentiam non à loci sancti-
 tate

tate, sed iis, quas dixi causis, oriri: tertio in
 ipsis publicis cœtibus nullam aliam me diffe-
 rentiam agnoscere, quam quæ à majore vel
 minore ardore ac zelo adorantium profici-
 scitur. Quæ verò de cubilibus habes, pro-
 cacis Monachi genium sapiunt. Casuistæ
 vestri & Confessarii produnt, vos, quid
 alii faciant in cubilibus, exactius, haud dubiè
 etiam expertos nôsse, quam qui plurimos an-
 nos in honesto, casto, Deoque unice accepto
 matrimonio consumpserunt. Quin & Pio II.
 Papæ, teste Platina, dicere solito, *Sacerdotibus*
magnâ ratione sublatas nuptias, majore restituen-
das videri; nec non Maximiliano II. Impera-
 tori, qui apud Thuanum lib. 35. plura argu-
 menta contra impurum cœlibatum coacer-
 vata Pio IV. Pontifici objecit, & inter alia
 fassus est, *vix inter multos unum reperiri, qui ca-*
stum cœlibatum præstet; his, inquam, summis or-
 bis Pontificii capitibus haud dubiè probè
 suboluit, vos legitimum matrimonium per-
 sos & in spiritum concupiscentiæ resolutos,
 in cubilibus vestris nescio quæ, certè talia,
 à quorum mentione castæ aures & animi ab-
 horrent, facere. Millena exempla ex incor-
 rupta historiaram veritate, totidem impuri
 cœlibatus documenta, nullo negotio produ-
 ci possent, siquidem illud Augiæ stabulum in-
 gredi animus esset. Quæ castitas fuerit ipsorû
 suorum Pontificum, liquere potest ex iis, quæ

in differt. III. Sc. 11. diximus. Sed pergis hunc in modum: Si affirmet, denuo quero ex ipso, an illa excitatio erga Christum fides, nec non in spiritu & veritate adoratio sit per gratiam meriti Christi? Utiq̄ue. Sed tu iustas: Si affirmet, iterum quero ex ipso, annon igitur gratia meriti Christi major vigeat in Templo Tigurino, quam in obscœnis cubilibus. Sic est sane. Gratia meriti Christi major viget in Templo Tigurino, quam in obscœnis cubilibus & cellulis Monasticis. Quærere pergis: Si affirmet, denuo quero ex ipso, annon illa major gratia meritorum Christi in uno pra obscœnis cubilibus loco sacro efficacia & presentia importet quandam virualem Christi presentiam? Haud abnuo. Sed hac lege, ne virtualis ea presentia alligetur loco, ut dicatur esse *unde n̄ unde, hic aut hic*, quam vocem Pseudo-Christis & Pseudoprophetis Salvator tribuit. Si affirmet, ita urges, rursus quero ex ipso, an credat, quod Pontificii aliam, scilicet circumscriptivam & quantitativam Christi presentiam pro hic & nunc asserant esse extra cœlum? Quia cum fratribus Cadmæis mihi res est, simpliciter id nec affirmare nec negare possum. Affirmo igitur ex parte de illis Pontificiis, qui cum Majore & aliis possibilitatem circumscriptivæ locationis replicatæ propugnant, nec non de mysterii Einsidlenſis hyperaspistis, qui Christi presentiam in terris circumscriptivam & quantitativam saltem ad tempus defendunt. Nego
 ex

ex parte de iis, qui negant Christi *pro hic & nunc* extra cœlum circumscriptivam & quantitativam præsentiam. Si affirmer, inquis, *aperiam committite falsitatem, eosque Lutheranismi ac sectæ Ubiquistarum falso redargui.* Si promissuè de omnibus id affirmarem, falsus essem. Sed de iis, de quibus affirmo, verum esse, ipse negare non potes. Neque tamen eos Lutheranismi redarguo. Lutherani enim tecum non quantitativam corporis Christi præsentiam, sed invisibilem tuentur. Si neget, ita concludis, *in aperto erit, totam illam à se superius facta argumentationis vim evanescere.* Non evanescit, Redingi. Primò quia virtualis meriti Christi in terris præsentia consistere potest, etsi loco cuius non alligetur. Secundò, quia non virtuales meriti Christi præsentiam extra cœlum duntaxat defenditis, sed etiam corporalem, etsi invisibilem, puta in Missa. Tertio quia Christum in Sacello vestro fuisse præsentem quantitativè & circumscriptivè statuis. At contra hæc omnia nos præmunit Christus his verbis: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus aut hic, ne credite. Excitantur enim Pseudo-Christi &c.*

XVIII. Sed Christi Domini sententiam non procedere de veris Christi apparitionibus, sed de hypocritarum Christi personam ejusque missionem fingentium fallaciis, ad extremum pronuncias. At primò veras Christi

Iti post ejus in cœlum ascensionem in terris
 apparitiones supponis, non probas. Etenim
 eum nec Stephano, nec Paulo, nec aliis in
 terra apparuisse, superius manifestum feci-
 mus. Secundò clarum est, de quibus loquatur
 Christus. De iis nempe, qui dicunt: *hic Christus
 aut illic*: qui edent signa magna & miracula,
 qui dicent: *Ecce in eremo est! Ecce εν τοις ταμείοις
 in conclavibus est.* Quotquot igitur hoc dicunt,
 illos sententia Christi ferit, Tros Rutulúve
 fuant. Atqui efficaciam meriti Christi certis
 locis etiam deserto alicui alligant, dicunt:
Ecce hic Christus, aut illic, hoc est, in hoc vel il-
 lo loco. Qui Christum pertendunt compa-
 ruisse suo corpore in deserto, ejusque Sacello
 aliquo, dicunt: *Ecce hic vel illic in Eremo Chri-
 stus erat.* Qui Christum sub speciebus panis
 docent invisibili modo latere, & in promptua-
 riis ciborum recondi, ii dicunt: *Ecce Christus
 εν ταμείοις conclavibus seu promptuariis.* Tria au-
 tem apprimè observanda. Primò Christum
 confictæ illi à Pseudoprophetis & Pseudo-
 Christis, sive in penetralibus ac pentuariis, si-
 ve in deserto præsentiaæ suæ, opponere v. 27.
παρουσίαν presentiam suam in consummatione
 orbis. Quibus verbis supponit, se hinc brevi
 migraturum, & in cœlos ascensurum, nec re-
 diturum ante finem mundi. Vana autem fo-
 ret hæc oppositio adventûs hujus futuri, nisi
 subintellexisset, se ante reditum suum in ter-
 ri

ris omnino non fore, ac proinde nec in deserto, nec in promptuariis ciborum, qualia sunt monstrantia. Facile aliàs fuisset illis Pseudo-Christis regerere, etsi Christus conspicabili modo rediturus sit in fine mundi, illud tamen non obstare, quò minus sit *αὐτὸς ὁ Θεὸς Ἰησοῦς* in deserto & promptuariis. Secundò vocabulum Græcum, quod redditur per *adventum*, illud ipsum vocabulum esse, quod *præsentiam* significat, videlicet *παρουσία*: nempe quia adventus illius, qui discesserit, & præsentia ipsius reapse idem sunt. Quod evidenter omnem corporis Christi in terris præsentiam excludit, donec Christus illustri modo redux mundo finem imponet. Tertio comparationem, quam instituit Christus, nimirum fulguris cum præsentia & apparitione sua, aperte excludere præsentiam nescio quàm occultam, qualis fuisse in Sacello vestro, & ab uno Conrado observata fingitur, nec non invisibilem sub accidentibus panis. Nam si fulgur est, apparet: si non apparet, non est. Ita, innuit Christus, si hîc essem, apparerem procul dubio, neque vel in promptuariis vel in deserto latitarem. At appariturus non sum, nisi quando advenero in splendore & gloria: antequam igitur illud me fore præsentem, credendum nullo modo est.

XIX. Atque hæc, D. Redingi, adversus *Dissertationes tuas Refutatorias* dicere habui.

Bona fide tua legi vestigia, neque quicquam omisi eorum, quæ ad rem facere visa sunt. Quæ tu studio, nisi fallor, intricâsti, & terminorum ac distinctionum tenebris involvisti, ego evoluta dare, & quàm fieri potuit, simplicissimè proponere studui, quò pio lectori ratio conset laboris, quem ad legenda nostra illa impendere dignabitur. Integra etiam authorum loca bona fide repræsentavi, à quo instituto te consultò abstinuisse palàm est. Sicubi iudicio tuo acerbius quid mihi excidit, cogita injuriam esse inferentis, non referentis; & ea fuisse tua Sophismata, eam calami malignitatem, ea convitia passim ingesta, quæ longe acriori aceto perfundi, & sale defricari debuissent. Ex studio enim charitatis, & veritatis fiducia multa Tibi condonavi.

XX. Tuum jam erit seridò scrutari conscientiam tuam, annon caussa, quam tantâ fiduciâ agitas, mala sit. Si tamen obfirmaveris, & ferire perrexeris, hoc denique te monitum velim, neque eo me abundare à severioribus & utilioribus studiis otio, ut integrum mihi sit contentionis funem denuo tecum ducere, neque eo me animo esse, ut commotos semel sine justa causa & astuantes adversantium animos ulteriori disputatione exulcerare velim. Interim affulgebit, affulgebit illa dies, quâ Christo

sto Regi Regum, & Domino Dominantium
 & tu nolens volens victas manus dedes, &
 fideles universi applaudent in hæc verba: Je-
 hova regnat, exuliet terra, latentur insula,
 pudore afficiantur omnes, qui serviunt sculpili-
 bus, qui jactant se de idolis. Incurvate ei vos
 omnes. Tu: quoniam Tu IEHOVA excelsus es su-
 per omnem terram! Valde exaltatus es super omnes
 Deos! Psal. XCIV. 1. 7. 9. Veni Domine
 Jesu, AMEN.

F I N I S.



CC 4

ГРН